6 444

# INQUISITIO IN ORACULA SIBYLLARUM DE CHRISTO,

Occasione Orationis anno 1662. in pervigilio Nativitatis salutiferæ de iisdem habitæ,

*Per Annotationes varias instituta*

à

TOBIA WAGNERO, D.
Ecclesiæ Tubingensis Præposito, &
Universitatis Cancellario.

TUBINGÆ,
Impensis Johannis Georgi Cottæ,

M. DC. LXIV.

# GENEROSO NOBILISSIMO Q; DOMINO, CHRISTOPHORO Mann-Teuffel/

Hæreditario in Gandelin, &c.

SERENISSIMI WIRTEMBERGIÆ DUCIS CONSILIARIO STATUS INTIMO, & in Secretiori Conſeſſu Pro-Præſidi, nunc Ejusdem ad Imperii Comitia comiti eminentiſſimo, Domino ac Mœcenati honoratiſſimo.

*Omnem animæ ac corporis proſperitatem!*

SI, *GENEROSE* ac *NOBILISSIME DOMINE*, mihimet unquam ſuccenſui, certè ſuperiori anno me id feciſſe profiteor, cùm de Generoſæ Tuæ Nobilitatis connubio nihil reſciſcerem, donec per os famæ percrebuit, *Nobiliſſimum Dominum* Manteufelium *Oberkirchæ celebrare nuptias, & Sereniſſimum Ducem* EBERHARDUM *Celſitudinis Suæ præſentiâ* tædarum Orgia ſerenare. Cauſa, cur tantùm non tum vapulaverim à me, erat non contemnens, ſed non advertens neglectus capillatæ frontis, quam tunc porrexerat occaſio, quâ animi mei lætitiam publicis votis potuiſſem ex-

plicare, quibus, ut cardiognostes, precum nostrarum exauditor, testis est, nullo non die pro Generosæ Tuæ Nobilitatis salute, clauso ostio, Numini privatim lito ; quem neglectum soli labores, & laborum curæ concatenatæ diluunt, quibus exulcerato hoc seculo ita subigor, ut interdum tantùm non ecstatico fiam similis, dum mei oblitus nihil præ oculis habeo, quàm foris Turcam, domi Universitatem & Ecclesiam. Quicquid tamen sit, reum me sisto peccati ignorantiæ, quòd Generosæ Tuæ Nobilitati, *Mecœnatum Optime*, Dominæque Sponsæ, jam costæ conthorali, quâ tàm virtutum symmetriâ, quàm Generis Nobilitate in Mundo nihil lectius, publico tunc voto non acclamaverim ; quod peccatum ut expiem, præsentem in Oracula Sibyllarum de Christo Inquisitionem, cujus publicationis ἀφορμὴν epilogus aperit, Generosæ Tuæ Nobilitati loco arietis immaculati, quem pro ignorantiæ peccatis Mosaica lex offerre jubet, offero, tum ut neglecta votorum compleam, omnesque benedictiones Vobis Neogamis apprecer, quas Laban cum familiâ sorori Rebeccæ, Isaaco desponsatæ, & Bethlehemiticus populus apprecatus est Booz, Ruth in uxorem du-

centi

centi, tùm ut officio pietatis, quia aliud non suppeditat, Generosam Tuam Nobilit. denuò demerear, ut non possit non continuare hactenus mihi exhibitam gratiam & favorem; & ego vicissim non possim me non profiteri Ejusdem obligatum clientem. Quod reliquum est; sospitet Deus, qui est Magnus consilio & operibus, tum Per-Illustris ac Generosissimi Dn. Comitis à Castell, *mei Abdiæ*, tum Generosæ Tuæ Nobilitatis, *Abedmelechi mei*, consilia, quibus Sereniſſimo Duci EBERHARDO in præsens Ratisbonæ, ut & aliàs semper, estis intimi, ut Turcâ profligato in patriam sitis redituri: Et omnis populus dicat amen! Scripsi Tubingæ 11. Febr. Anno 1664.

*Generos. Tæ Nobilit.*

*devinctissimus*

Tobias Wagner D.

# DECANUS
## ET FACULTAS THEOLOGICA UNIVERSITATIS TUBINGENSIS
### Lectoribus S. D.

*QUanto Regnorum applauſu nativitates filiorum Magnatum, imprimis ſi primogeniti ſunt, & unigeniti, excipiantur, hiſtoriæ loquuntur, & teſtis eſt experientia, dum vocibus gratantium Cæli rorare, & imbres votorum ἄνοθεν decidere videntur. Quid enim tum non tentant acclamando Oratores, ad exæquandam, ſi poſſibile eſſet, ipſius Euphratis affluentiam rheumate oratorio, in affundendis bonis verbis pro incremento natorum! Quid non Poëtæ? quorum vena tunc abyſſus eſt, & inexhauſta votorum ſcaturigo, ut exemplo eſt Virgilius, cui, cùm Aſinio Pollioni, Romano Conſuli, Duci exercitus Germanici, filius, Saloninus naſceretur, nullius Oratoris, nedum Bucolici ſcriptoris ingenium, nec ulla humana dicendi vis & majeſtas in canendo genethliaco ad imitationem ſuffecit, quemadmodum aliàs in Bucolicis Theocritum, & in Æneide Homerum feliciter fuit imitatus, à Macrobio* Homericæ per omnia perfectionis imitator *ideò dictus; dum altiorem, nempe vatidici flaminis ſtylum mutuavit à vaticinio, quod Cumæa de Chriſto fudit, & Eclogam quartam Poëtæ conſtituit, in hunc Pollionis filium detorto, factâ promiſſione, ſi vita ſuppeditaverit, ſe in deſcribendis hujus Salonini rebus geſtis nulli Poëtarum, neque Orpheo, neque Lino, neque Apollini, natis quamvis Poëtis, ceſſurum eſſe; quando ſcribit:*

O mihi tàm longo maneat pars ultima vitæ,
Spiritus, & quantum ſat erit tua dicere facta,
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus; huic mater quamvis, atque huic pater adſit
Orphei Calliopæa, Lino formoſus Apollo.
Pan etiam Arcadia mecum ſi judice certet,
Pan etiam Arcadia dicet ſe judice victum:

*Tam effuſa ſunt in genethliacis Magnatum ſcribendis, & bonis verbis cordicitùs dicendis ingenia, ut etiam verborum vim, & geſtuum gratiam ſibi deeſſe querulentur, quibus gaudia mente conceptæ*

*cepta gestiunt eloqui & significare : Vt alia consummatæ lætitiæ signa hic transeant, quæ tum passim per provincias dantur, portis alibi virentibus sertis coronatis, die alibi accensis funalibus aucto, compitis undique festis pyris illustratis, illic aëre missilibus ignium coruscante, isthic tellure repetitis tormentorum fragoribus mugiente : Et quidem omnia meritò ; quia bona, quæ ex fœcunditate Principum sperari possunt, meliùs non intelliguntur, quàm ex luminibus Imperiorum extinctis, quando regnantium occasus improles accidunt, mutationibus iis post se plerumque tractis, quæ haudrarò interitum Regnis atque provinciis minitantur ; De quibus spacioſus dicendi campus se offerret, si institutum præsens id permitteret, nec in longè, & quidem infinitè altioris Magnatis, nempe ipsius Omnipotentis Dei filij genethliacum & natales oculi nostri unicè defixi essent, ad inferendum, si tàm consummata gaudia misceantur nato Rege, qui homo est, qui mortalis est, & immortalitem, si etiam Alexander Magnus, Philippi Macedonis filius is esset, nobis donare non posset ; quantò consummatiùs gaudeamus nato Rege, qui Victor Mundi & Diaboli est, qui Redemptor ex inferno est, qui Restitutor immortalitatis, & Reparator vitæ æternæ est : Verbo ; qui omnia in omnibus est, nempe meritissimus Salvator noster Iesus Christus : Cujus natales Ecclesia futuro 25. Decembr. die devotione eâ ; quam de nobis meruit, hoc est, quâ fieri poterit, profundissimâ & summâ celebrabit. Ad quam excitandam Universitas nostra antiquitus constituit, ut à Facultate nostra in Vigiliis tanti festi, quæ in antecedaneum diem incidunt, Oratio de nativitatis Sacratissimæ Mysterio habeatur, quam in Auditorio nostro, aut si aër durior ob hyemis inclementiam ursserit, in majori conclavi Senatorio, promeridianâ nonâ solennitate debitâ habebimus. Mandamus igitur omnibus ac singulis, qui jurisdictioni nostræ subjecti sunt, ut hoc devotionis ἀνερόαμα dicto die & horâ frequentes, eâ quâ par est, devotione, visitent : Cæteris verò, quibuscunque Salvator cordi est, suammet propriam devotionem instar magnetis foresperamus, cujus tractu sint apparituri, juxta illud, quod Ecclesiæ erga Salvatorem familiare est :* Traheme, & post te recurremus. *Dabamus sub Sigillo Facultatis nostræ. d. 21. Decembr. Anno 1662.*

IN-

VIRO

*Amplissimæ Dignitatis, atque Inclyti*
*latè nominis,*

# DN. TOBIÆ WAGNERO,

SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. Ecclesiæ
Tubingensis Præposito, & Academiæ
Cancellario, &c.

## IN ORACULA SIBYLLARUM
inquirenti.

*Quid recti fictique tegat cortina Sibyllæ,*
*Seu Cumæa magis, sive Erythræa valet;*
*Inscriptasque notas foliis, & dicta mundo*
*Carmina, WAGNERI pendit acuta bilanx.*
*Quæ tibi, Roma, Viri Geminive, Decemve, vel ul-*
*Curavere, Sacris arbiter unus adest.* (tra,

Christophorus Caldenbach.

---

Erratum in erratis ad calcem omissum.
*Pag. 16. lin. 19. pro* subsistentia *lege* substantia.

[1.]

*Magnifice Rector, Per-Illustris Baro; Viri admodum Reverendi, Nobilissimi, Excellentissimi, Consultissimi, Celeberrimi: Tuque Studiosorum Corona Nobilissima, Florentissima, Ornatissima:*

QUemadmodum diris omnibus meritissimè devovendus, & ut reus majestatis unco injuncto ad gemonias pertrahendus esset, si quis regis alicujus primogenito statim sub genethliaco ortu quæstionem natalium movere, eosque legitimos esse negare auderet; & quidem nunc temporis aut Infanti in Hispania, aut Delphino in Gallia; quid enim tàm desperatè audax ingenium aliud ageret, quàm ut, quantum in se, novaculâ maledictæ linguæ eam subditorum spem decollaret, cujus defraudatio integris regnis non posset non perplexissimè periculosa accidere *(a)*: Ita multò magis extremum impietatis gradum excessisse judicandi sunt illi, à quibus ipsius Filii DEI, carnem per magnum mysterium pietatis induentis, natales tuti non sunt, imò σημεῖον ἀντιλεγόμενον, hoc est, *signum contradictionis* sunt; dum eos vel prorsus negant, ut negavit *Arius (b)*; vel ad solam humanam naturam, divinâ exclusâ, referunt, ut retulit *Nestorius (c)*, & qui ex Rasis & Reformatis cum illo in eadem domo habitant; vel, ut alii plures transeant, apertè blasphemant, ut juxta Judæos *(d)*, conductos blasphematores partus virginei, blasphemavit *(e)* autor libri, titulo tenus plus justo famigerabilis, nempe *de tribus summis Impostoribus*, quos *Mosen*, *Christum*, & *Machometem* fuisse, quantum ad *Mosen* & *Christum*, desperatus furcifer ex infernalibus faucibus eructavit,

dignus, qui flammâ ignis, non elementaris, sed sulphurei, quo Sodoma & Gomorrha conflagrarunt, imò infernalis, quo dæmones cum damnatis æternùm ardebunt, concremari debuisset; ut mirum non sit, si in medio tritico seminati verbi tàm epicurea zizania succrescant, quibus prædicatio de Christo fabula est, ut sanctissimo, si diis placet, Pontifici Leoni X. fuisse fertur, cùm de felici indulgentiarum aucupio profanissimâ voce, *En quantum fabula de Christo nobis profuit*! sibi fuisset gratulatus: quod genus hominum, si quis diabolo, qui κατ' ἐξοχὴν πονηρὸς dicitur, pejor esse posset, profectò ipsis diabolis pejus ac profanius esse asserere nullus dubitarem, quia constat, diabolos non tantùm, ut Jacobus asserit, credere, sed etiam Christum in evangelio filium Dei confessos, & per decantatissima Sibyllarum oracula, eo nondum nato, professos fuisse, de quibus oraculis, quia non contemnendam speciem divinæ revelationis præ se ferunt, hoc sancto salutiferæ nativitatis pervigilio, cum vestrâ veniâ, auditores omnium ordinum honoratissimi, aliquid disserere, & an ad astruendum incarnationis mysterium iis θεῖόν τι, & roboris aliquid insit, inquirere constitui; quod dum facio, nihil à sacræ Theologiæ studio, quod in veris Dei oraculis scrutandis occupatur, à me alienū fieri arbitror, quia Theologi interest, *pretiosum*, ut cum Propheta loquar, *à vili* secernere, & ostendere, quid distent æra lupinis. Orationem tædio carituram esse, sperare me jubet, si non materiæ singularitas, saltem, si cætera omnia injucunda sint, dicendi brevitas, quo nomine aures, si non lubentes, saltem patientes, à vobis flagito, quæ timidiùs dicenti παῤῥησίαν conferent, & orationis filum, quod spondeo, in rem vestram promovebunt.

Ad vocis *Sibyllæ* etymon quod attinet, non est, ut multum in ea tricemur, quod Lactantius ex Varrone aperit, *Sibyllas* à consiliis Deorum nunciandis æolicâ dialecto dictas esse; Æoles enim Σιὸς *Deos*, non Θεὸς, & consilium non βυλὴν, sed

βυλὴν

βυλὴν appellarunt, ut Sibylla dicta sit quasi θεοβύλη, *Dei consilium*, aut *Consiliaria Dei*, appellatione hac omnibus fatidicis fœminis vindicatâ, quas veteres *Sibyllas* vocarunt: hanc etymologiam Peucerus in commentario de præcipuis divinationum generibus præ ea approbat, quam Varro etiam ab unius Delphidis nomine deducit. *(f)* De voce *Kabala* quod idem addit, longiùs petitum est, quàm ut ei *Sibyllæ* etymon suos natales debere putemus. *Sibyllas* autem ullas unquam extitisse qui negant, *(g)* historiæ veritatem, quæ Sol temporum est, negent necesse est; quarum de Christo oracula à Christianis suppositа fuisse, statim in primitivâ Ecclesiâ gentilium fuit exceptio, cùm juxta Scripturam etiam carminibus Sibyllarum à Christanis urgerentur, quos refutavit Lactantius, Varronis, Ciceronis, & aliorum ex veteribus, qui Christo nato antiquiores fuerunt, autoritate ipsis objectâ: ut Socinum Antitrinitarium meritò pudere decuisset, qui in suo *Anti-wieko* existentiam Sibyllarum dubiam reddere conatur, *verisimile esse*, perhibens, *narrationes de Sibyllis fabulas esse, & credendum potius videri, eas nunquam extitisse, quia ipsarum tempore nemo quicquam de iis scripserit.* Atqui quis ante & post diluvium usque ad Mosen quicquam de Protoplastis & Patriarcharum familiis scripsit? num propterea credendum videtur, eos nunquam extitisse, & Genesin Mosaicam pro fabulâ habendam esse? nonne carmina earum Varro, Cicero, & alii, qui ante Christum natum vixerunt, legerunt? utut diversæ circumstantiæ de illarum historiâ à diversis scriptoribus referantur; quod fabulam protinus non arguit, aut substantiam historiæ tollit; nisi maximam partem veritatis historicæ elevare, dubiamque reddere velimus *(h)*. Livium, quod Socinus addit, de libris à Cumæâ Tarquinio Prisco venditis silere, verum est; quid tum postea? quotaquæque sunt, quorum ille non meminit! quæ tamen fabula aut infecta non sunt, quia ab aliis fide dignis scriptoribus referuntur, inter

quæ referenda est hæc ipsa librorum Sibyllinorum, à Cumæa Tarquinio venditorum historia, quam Plinius, Dionysius, Solinus, Gellius, Servius, alii referunt, qui Livio in candore calami historici fasces nullatenus submittunt, ututin relatione circumstantiarum differant, etiam quod numerum & personas earum concernit, dum alii, ut Castellio, saltem unam Sibyllam faciunt, quæ etiam vulgi est sententia, quod permulta, quæ adhuc complenda restent, Sibyllæ vaticiniis simplici credulitate tribuit; alii, ut Marcianus Capella, duas, alii ut Plinius, tres, quarum statuæ Romæ erectæ steterint, nomina v. Solinus refert, *Cumæam, Delphicam, Erythræam* eas appellans; alii, ut Ælianus, quatuor, *Erythræam, Samiam, Ægyptiacam,* ac *Sardiniam*, duabus aliis, *Iudæâ* & *Cumanâ* auctas; quibus omnibus demum Varro in libris divinarum rerum, ut Autor est Lactantius, adhuc quatuor alias addit, numero earum in denarium extenso, quarum nomina modò laudatus Lactantius recenset. Peucerus *(i)* in Commentario singulas ferè gentes Sibyllas, hoc est, vatidicas fœminas habuisse, suasque religiones, quas ex primâ quidem verâ, sed pro suis affectionibus depravatâ, instinctu diaboli exstruxerint, fovisse judiciosè demonstrat, quæ quia Helenas nostras, Sibyllas puta, de quarum oraculis amphora est instituta, obiter tantum lambunt, nunc missa faciamus, id potius acturi, quod intendimus; ex Sibyllinis carminibus producturi testimonia, quibus hebræus puer *Christus* tàm à Sibyllis prædictus, quàm à Prophetis revelatus esse videtur, in quocunque vel tandem tripode principium hujus revelationis (de quo deinceps agemus) sit quærendum. Et quidem ne oratio, si singulas producere vellemus, justo prolixior evadat, tantùm duarum, quæ reliquis celebritate nominis illustriores sunt, *Cumææ* & *Erythrææ*, totidem de *nascituro* nostro *Iesulo* vaticinia in præsens producam, quarum alterum, quod *Cumææ*

est,

est, *Virgilius*, alterum, quod *Erythræa*, *Eusebius* posteritati expendenda reliquerunt.

*Cumæam (k)* ex Cuma Opicorum oriundam, quod concernit, refert de ea ex autoribus Lactantius, quòd novem carminum libros ad regem *Tarquinium* attulerit, sed quia trecentos philippæos pro iis postulaverit, & ob pretii magnitudinem à rege fuerit derisa, tres de iis combusserit, & cùm idem pretium pro sex reliquis peteret, denuô à rege insuper habita, tres alios in ignem conjecerit; donec pro tribus reliquis Tarquinius pretium postulatum, in quo illa perseverârit, dederit, quos Capitolio refecto cum magnâ veneratione curaverit asservari: Hujus Cumææ versus Virgilius Ecloga IV. inter alios translatione ad Saloninum Pollionis, Consulis Romani recens natum filium ita exprimit:

*Vltima Cumæi venit jam carminis ætas,*
*Magnus ab integro seclorum nascitur ordo;*
*Iam redit & virgo, redeunt saturnia regna,*
*Iam nova progenies cœlo demittitur alto,*
*Tu modò nascenti puero, quo ferrea primum*
*Desinet, & toto surget gens aurea mundo,*
*Casta fave, Lucina, tuus jam regnat Apollo,* &c.
*Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,*
*Irrita perpetuâ solvent formidine terras,* &c.

Et post graphicam descriptionem regiminis hujus novæ de cœlo demissæ progeniei:

*Aggredere, ô magnos (aderit jam tempus) honores,*
*Cara Deûm soboles, magnum Iovis incrementum.*
*Aspice convexo nutantem pondere mundum,*
*Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum;*
*Aspice, venturo lætentur ut omnia seclo,* &c.

Quot verſus, tot teſtimonia, hujus Cumææ carmina de naſcituro Chriſto fuiſſe authentica, quocunque flamine inſpirata; ſed & quacunque intentione à Marone uſurpata, qui *puerum* non *hebræum*, ſed *latinum*, non Dei & Mariæ, ſed Pollionis, Conſulis Romani filium, adeoque *Saloninum*, non *Chriſtum* recenter natum pro objecto applicationis habuit, ad quem ſtyli quidem imitatione eruditâ, ſed ſenſus detorſione, à Cumææ ſcopo longè alienâ, Cumæum hoc carmen, divinitatem naſcituri Meſſiæ apertè ſpirans, quaſi per apotheóſin quandam tranſtulit. Quis enim Salonino nato *aureum ſeculum*, quod Poëta per *ultimam Cumæi carminis ætatem* intelligit, veniſſe, & quod è veſtigio ſubjungit, *auream gentem toto mundo ſurrexiſſe* aſſerat? cum *ferreum* potius *ſeculum*, Babyloniæ Regi in ſomno per tibias ferreas coloſsi monſtratum, tunc adeſſet, quod ad monarchicum axioma evectum omnia diminuere & domare incipiebat (*l*), ut ſola pax ſpiritualis cum Deo, per prophetas phraſi à Cumææ ſtylo, ut Poëta eum exprimit, non multum abludente, deſcripta reliqua eſſet, quam *Sarſchalom* Chriſtus de cœlo nobis attulit. Quid *Virgini* cum Salonino, nato Pollionis filio? Atqui cum Chriſto permultum; quippe quem juxta Eſaiæ vaticinium (*m*) *Virgo concepit*, *virgo peperit*, ſtatim in evangelio paradiſiaco (*n*) per *mulierem*, cujus ſemen caput ſerpentis erat contriturum, intellecta. Quo ſenſu vel tandem Poëta Saloninum pro novâ cœlo demiſsâ progenie venditare potuit, niſi tam latè anagogico, quo vix umbra veritatis in applicatione remanſit? cùm econtra Scriptura de Chriſto nil diſertius aſſerat, quàm *Dominum eum eſſe de Cœlo* (*o*), ac *vitæ panem, qui de cœlo deſcendit* (*p*): utut uterque, & *Chriſtus*, Dei ac Mariæ, & *Saloninus*, Pollionis, Conſulis Romani filius ſub Imperatore Auguſto, quem Maro per regnantem Apollinem innuit, fuerit natus, quod Salonini mortalitati nihil addit, Chriſti divinitati nihil detrahit; qui ſceptro de Ju-

da

da jam pridem per Pompejum ablato venire debuit (*q*); *Summatim*, non *Saloninum, latinum*, sed Christum, *hebræum puerum* hunc Pamphilum esse, perquem divini Numinis gloria & Majestas stetit, & propter quem cœlum ipsum, & universi mundi machima gestire, ejusque natalem gratulari debuit, & quod præcipuè in rem universi generis humani est, solus vestigia scelerumnostrorum irrita reddere, ac terram perpetuâ formidine solvere potuit, hoc omnes versus, etiam (ut habet *Anton. Guibertus* in suo *Apologetico*) omnes tropi, quibus poëta utitur, evincunt, & vitæ Salonini brevitate confirmatur, quem statim, ac in lucem fuit editus, risisse, suoque risu vitæ brevitatem sibimet præsagiisse scribunt; nedum ut pro Dei, tantorum honorum capace progenie fuerit habendus. Longum esset referre, quàm devoto Commentario Eusebius (*r*) totam hanc eclogam juxta Cumææ mentem ad Christum applicet, cui calculum adijcit Augustinus (*s*), pernegans, imprimis hos duos versus,

*Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri*
*Irrita, perpetuâ solvent formidine Terras,*

alteri, *quàm Domino Christo genus humanum dicere posse, quos ex Sibyllino carmine Virgilius fassus sit se transtulisse.*

Fuit vaticinium *Cumææ*, cui tàm disertim astipulatur acrostichis *Erythrææ (t)*, ut ipsum nomen Salvatoris Ἰησοῦς Χριστὸς θεοῦ υἱὸς Σωτὴρ initialibus versuum literis, cum utroque Salvatoris, adventu exprimat, cujus initium, ut apud Eusebium loc. cit. extat, ita habet:

Ἰδρώσει γῆ χθὼν, κρίσεως σημεῖον ὅτ' ἔσται,
Ἥξει δ' ἐξανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν, ὁ μέλλων
Σάρκα πεφὼν κεῖναι πᾶσαν, καὶ κόσμον ἅπαντα &c.

Hoc

Hoc eſt:

*Sudabit enim terra, quando judicij ſignum erit,*
*Veniet autem de cælo rex per ſecula, qui futurus eſt*
*Omnem carnem præſens judicare, & omnem Mundum.*

Magnum authoritatis momentum accedet Sibyllis, ſi hæc acroſtichis authentica eſſe probabitur: Quis enim Prophetarum tàm ſyllabatim in uno & eodem vaticinio Salvatoris titulum exprimit, ſicut in hac acroſtichide expreſſum habemus? quanquam διηρημένως apud Prophetas αὐτολεξεὶ, ut infrà demonſtrabo, extare, negari non poſſit: Authenticam autem eſſe, probabile argumentum eſt, quòd Cicero ante natum Chriſtum affirmavit, ſe carmina Sibyllæ vidiſſe, quæ literis initialibus certam reddant ſententiam, quod genus carminis ἀκροστιχὶς appelletur (*u*)! *ſed*, inquit Calovius; *intelligi eam, quam commemorat Euſebius, non apparet* (*x*): Contrà Jacobus Martini: *Manifeſtum eſt, quum alia Sibyllæ carmina, quorum literæ capitales aliquid certi ſignificent, non extent, Ciceronem hæc ipſa legiſſe* (*y*): cui ſententiæ præ illa ferè aſtipulor, in qua me magna vigilantia confirmat, quâ Romani, imprimis *Auguſtus* antè, & *Tiberius* poſt *Chriſtum* natum, quàm curatiſſimè caverunt, ne libri Sibyllini ſine delectu reciperentur, & recepti promiſcuè ab omnibus legerentur, ut *Tacitus* & *Suetonius*, ſcriptores graviſſimi teſtantur: Suetonius quidem de Auguſto; quod is *poſt mortem Lepidi ſuſcepto Pontificatu, ſuper duo millia vatidicorum librorum, græci & latini generis, de quorum autoribus non conſtiterat, cremaverit, ac ſolos Sibyllinos retinuerit, ſed & hos quoq; delectu habito, quos duobus forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi condiderit* (*z*): Et Tacitus de Tiberio; *exprobraſſe eum Caninio Gallo, quòd de libro quodam Sibyllæ, inter cæteros ejus vatis recipiendo, incerto autore, ante ſententiam collegij, non, ut aſſolebat, lecto per magiſtros, æſtimatoque carmine apud infrequentem*

Se-

*Senatum egerit*; Admonitione insuper hac additâ; *quia multa vana sub nomine celebri vulgabantur, sanxisse Augustum, quem intra diem ad prætorem deferrentur, neque habere privatim liceret, quod à majoribus quoque decretum fuerit post exustum Sociali* (dicere debuisset *Civili*) *bello Capitolium, quæsitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam, ac Siciliam, Italicas quoque colonias carminibus Sibyllæ, datoque Sacerdotibus negotio, quantum humanâ ope potuissent, vera discernere igitur tunc quoque notioni quindecim virûm eum librum fuisse subjectum* (*Aa*). Eandem Sibyllinis libris, etiam à Christianis adhibitam vigilantiam, testatur Eusebius loc. cit. adversus eos, qui hanc ipsam Erythrææ acrostichidem authenticam esse negarunt, & pro suppositiâ habuerunt; *veritatem*, inquiens, *fuisse in propatulo, eò, quia nostræ religionis viri tempora diligenter & exactè collegerint, ut non potuerit conjecturâri, hæc carmina olim à Sibylla non esse prædicta: Imò fuisse etiam in confesso, Ciceronem hoc poëma legisse, illudque in latinam dialectum transtulisse, & intulisse suis Commentariis*: ut hîc Christianis, illîc Ethnicis vigilantibus, vix locum habere potuisse videatur tàm momentosi carminis denascituro & nato Christo suppositio: quanquam Sibyllinis libris nihil additum, suppositumve fuisse, non dixerim, ob argumenta nullatenus contemnenda, quæ à viris doctis in contrarium afferuntur, & ex ipsis Sibyllarum inter se commissis libris ipsis desumi possunt.

Quid ergò? inquitis, Auditores omnium ordinum honoratissimi, si hæc Sibyllarum carmina de nascituro olim Messiâ sunt revelata & authentica, annon etiam *divina*, æquiparanda prophetarum oraculis? & si hoc; añon consequenter *canonica*? maximè, quia Clemens Alexandrinus (*Bb*) Sibyllarum libros ab Apostolo Paulo Christianis, ut eos legerent, commendatos fuisse scribit; & Bellarminus (*Cc*) peculiarem classem argumentorum pro asserenda divinitate filii Dei contra Photinianos ex earum oraculis producit. Hîc verò os obstruere, & ne

Scripturæ ſacræ, quæ citra controverſiam θεόπνευστος eſt, conſequenter *Canonica*, ullum ſub cœlo ſcriptum, aut librum æquiparemus, acquieſcere nos jubet non Plato, quem quidem lectorem, ut etiam in legibus ſcribendis, imitatorem Moſis fuiſſe autores tradunt; multò minus Plutarchus, qui referente Peucero (*Dd*) de origine Oraculorum, ut cœcus de colore judicat, & vim eorum non εἰς θεὸς, ἢ δαίμονας, ἢ ἥρωας, hoc eſt, *in Deum, aut dæmones, aut heroas*, ſed prorſus *ad impetum quendam naturalem terræ incitatæ retulit*; ut oſtenderet, ſe tanquam ethnicum, neque angelum, neque ſpiritum (*Ee*) credidiſſe; ſed ipſa diaboli tyrannica praxis, & horrenda in oculos incurrens obſeſſorum ſubactio, dum malignus ſpiritus, cum hujusmodi oracula ederentur, halitibus circumdatus in has vates & pythias involavit, easque partim furentium, partim ebriorum, partim trementium, partim ridiculè geſtientium motibus exagitavit, nonnullis eorum corpus, ceu articulis tormento ligatis enervavit, ac palpitantium muſculorum ſpeciem induxit (*Ff*), ut furori fanatico θεῖόν τι, quod diabolicum erat, ſubeſſe videretur: quæ divinitatem inſpirationis tàm non arguunt, quàm Belial non arguit Chriſtum, & tenebræ non argunut lucem (*Gg*); quippe ſibi è diametro oppoſitas, & nunquam in eadem domo cohabitantes, quantacunque vel tandem pietatis ſpecie, dicerem debere, fuco malitiæ (*Hh*) ὁ μυελοπεχνίτης vera falſis, & divina humanis miſcere fuerit viſus, ut mundus, cui glaucomata hæc objcit, dum charitatem veritatis, ut ſalvus fiat, non recipit, quaſi in bivio ſtans neſciat, cui tandem plus fidei tribuendum ſit; Deo, an diabolo?

Tum demum autem (*Ii*) immeditatè θεῖόν τι hæc Sibyllarum vaticinatio ſpirare poſſet argui, ſi ſagaciſſimus dæmon eam pro profundiſſimâ ſuâ ἀγχινοίᾳ ex jam antè ſanctis DEI hominibus factâ revelatione propheticâ colligere, collectamque in pratum diabolicæ fraudis derivare, & ad

regnum

regnum ſuum dilatandum convertere non potuiſſet: verbi gratiâ; (*Kk*) puerum, quem *hebræum* appellat, vocatum iri *Ieſum*, toties ex Vetere Teſtamento coucludere potuit, quoties prophetæ voces יְשׁוּעָה & הוֹשִׁיעַ de futuro Meſſia terminanter uſurpant; ut David in Pſalmo: *Dic tu animæ meæ,* יְשׁוּעָתֵךְ אֲנִי *Ieſus tuus ego ſum* (*Ll*): Annon Χριστὸς ipſiſſimum nomen מָשִׁיחַ eſt? Atqui quàm frequenter Prophetæ id ingeminant, ut nec Samaritanam ea latuerit, ajentẽ; *Scio, quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus* (*Mm*): de quo David ſuam fiduciam tam certam eſſe prædicat, ut ſe nuncupet *Virum* הָקִם עַל מָשִׁיחַ *ſubſtantiatum ſuper Meſſia Dei Iacob* (*Nn*): *filium Dei* fore, annon expreſsè litera jacet? *Filius meus es tu* (*Oo*): Et in promiſſione; *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium*; & quæ ſunt id genus collationes horum vaticiniorum cum propheticis oraculis adhuc plures, quas brevitas temporis glomerare non permittit: Et dæmonem, divinitatis ſimiam, hæc non intellexiſſe, & ſuppoſitâ revelatione propheticâ his pythiis ad opinionem divinitatis ambiendam inſpirare non potuiſſe putemus! ut taceam Sapientiam habitualiter non introire, niſi in animam caſtam, Deo, non dæmoni devotam: talem autem Sibyllarum, verbi gratia, *Erythrææ* fuiſſe animam, quomodo probabitur, quæ, ut alia argumenta in præſens tranſeant, *Apollinis Sacerdotem* ſe profitetur (*Pp*)? *Si Apollinis*, ergò *dæmonis*; non Numinis, quia, ut Rex & Propheta pronunciat, *Gentium Dij ſunt dæmonia* (*Qq*); ut intrepidè affirmare auſim, eam, ſi hodie viveret, pro lamia habitum, & ſecundùm Carolinam, imò Moſaicam conſtitutionem igni adjudicatum, atq; combuſtum iri; quod ſeverius, ſed ratione ſolidâ nixum judicium cum pace venerandæ antiquitatis latum velim; ut conſtet, quid obſtet, quò minus vel *Cumæam*, vel *Erythræam*, ac Sibyllas reliquas pro vatibus à Deo inſpiratis habeamus; utut Euſebius illam *divinâ inſpiratione refertam* celebret, quam è veſtigio *intus in ipſis adytis importunâ ſuperſtitio-*

*ne occupatam* appellat (*Rr*): quæ certè dissociabilia sunt, & non cohærent.

Quæ ergò vel tandem est hujus fidei utilitas, si dæmoni non Numini tribuenda sunt vaticinia, quæ de Christo nascituro fuderunt *Cumæa* & *Erythræa*, Sibyllarum Biga celebratissima? Num diabolo de DEO credamus, qui fidem statim Deo in paradiso detraxit, cùm lapsus retia Protoplastis tenderet (*Ss*)? num ex ejus buccâ veritatem expectabimus, qui pater mendacii est, & in veritate non stetit (*Tt*)? qui ergò adhuc flosculi, aut fructus sunt, quos ex hactenus habito discursu colligamus, ne curiositati potius, quàm pietati litare velle videamur, sed ut ad ἀκμὴν ædificationis, maximè sub exitu, deveniat nostra oratio? Συλλήβδην, vel tandem ad quid prosunt hactenus laudata Sibyllarum carmina, (*Vu*) Sibyllis ipsis culpatis, & pro instrumentis diaboli habitis?

Prosunt *primò* maximè ad notandam, & declinandam calliditatem diaboli, qui ut plurimum nocet, quando prodesse se simulat; mentitur, quando vera loquitur; sicut se Deum esse fuit mentitus, cùm per has Sibyllas, suas amasias, Christum Dei filium assereret; omninò ut Apostolus ejus ungues hoc malitiæ schemate obtectos exprimit, appellando eum *Satanam* εἰς ἄγγελον φωτὸς μεταχημαλιζόμενον, *in angelum lucis transformatum*, ne securi simus, aut nimium credamus colori; ἃ γὰρ αὐτοῦ νοήματα ἀγνοῦμεν, dicente Apostolo (*Xx*); *nobis non incognita sunt ejus noëmata*, quæ tanquam *monstra* perditionis alit (*Yy*).

Profuerunt *deinceps* imprimis καθ' ἄνθρωπον ad convertendos gentiles ad Ecclesiam, quibus alioquin prædicatio de Christo fabula fuit, & perhibente Apostolo *stultitia* (*Zz*), ut saltem diabolis, quorum prophetissas venerabantur, de Christo vaticinantibus, crederent, donec ad verum fontem Propheticorum oraculorum per sanctam vocationem, à tenebris εἰς τὸ θαυμαστὸν αὐτοῦ φῶς perducerentur, quâ de causâ in magno quo-

que

que pretio fuere Juſtino Martyri, Athenagoræ & Lactantio, patribus antiquiſſimis ſtatim poſt Apoſtolorum tempora, refertque Juſtinus Apol. 2. inſtigantibus dæmonibus â Romanis leges fuiſſe, latas, quibus capitali ſupplicio fuerit addictus, quisquis de populo libros Sibyllinos legeret.

Proſunt *porrò*, ſi non ad convertendos, ſaltem ad confundendos Epicureorum conceptus, quos ſub introitu orationis tantùm non pejores diabolis habuimus, qui ut plurimum in cordibus ſuis dicunt, *non eſſe Deum* (α); quos vel diaboli, qui DEUM per ſuas prohetiſſas confitentur, refutent, donec & ipſi cum diabolis in inferno juſtum, & βασανίζοντα Deum ſentient, ſed &, quod Jacobus ad diabolorum fidem addit, φρύασσοι, *ſtantibus quaſi comis contremiſcent.*

Proſunt maximè, (β) ut Deo pro prophetico ſermone, quem Apoſtolus ipsâ in monte ſancto auditâ patris voce, *hic eſt filius meus dilectus*, βεβαιότερον deprædicat, eò impenſiùs habeamus gratias, quo fucatiùs mundum â diabolo per has phæbades, & lymphatica earum oracula habitum fuiſſe obſervamus, quia ex hoc verbo jam ſcimus, *cui credimus, & certi ſumus*, ὅτι δίκαιος ἐστὶ τῷ φυλάξαι ἡμῶν φυλάξαι εἰς ἐκείνην ἡμέραν. Sicut enim diabolus ψεύστης ἐστὶ, καὶ πατὴρ αὐτοῦ: ita Deus eſt Deus veritatis, ejusque verbum eſt *veritas*, *in qua*, intercedente pro nobis Chriſto, *ſanctificamur*.

Et vel *tandem* proſunt eo ipſo, quia non amplius ſunt, atque nato Chriſto *Puero*, quem appellavit dæmon, *hebræo* obmutuerunt, templis eorum partim fulmine everſis, partim terræ tremore concuſſis, antrisque halantibus obſtructis, & fontibus atque fluentis, quæ vim divinandi habere videbantur, exſiccatis, ac ne veſtigiis quidem eorum amplius relictis (γ): in indubitatum argumentum, *Parvulum Ieſum, qui natus eſt nobis, & filium, qui datus eſt nobis*, ad cujus nativitatem debito devotionis ardore celebrandam hoc ipſo per-

vigilio corda noſtra diſponimus, eſſe *ipſum filium Dei, qui apparuit, ut deſtrueret opera diaboli* (δ), qui ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς, καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ, θριαμβεύσας αὐτὸς ἐν αὐτῷ: hoc eſt, *expolians principatus & poteſtates traduxit palàm, triumphans illos in ſeipſo* (ε); ut majeſtatem novæ, cœloque demiſſæ, progeniei Apoſtolici ſtyli majeſtate exprimam, quod triumphatum ſpiritum ita uſſit, ut indignationem coram ipſo Auguſto Cæſare diſſimulare non potuerit, quando ſciſcitanti de ſucceſſore in Imperio, reſpondit:

Παῖς ἑβραῖός με κέλεται μὲ θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων,
Τὸν ὃ δόμον λείπειν, καὶ ἀϊδῆω αὖθις ἱκέσθαι,
Λοιπὸν ἄπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμετερέων.

Hoc eſt:

*Puer hebræus jubet me, qui beatis diis imperat,*
*Domum relinquere, & in infernum reverti,*
*Quod reliquum, abi hinc ſilens ab aris noſtris.*

Nos, quod reliquum eſt, omnipotenti, opera diaboli omnipotenter deſtruenti PARVULO cum magnâ voce in cœlo à Johanne (ζ) auditâ læti acclamamus: *Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus; quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri, die ac nocte: & ipſi vicerunt eum, propter ſanguinem agni, & propter verbum teſtimonij ſui, & non dilexerunt animas ſuas usque ad mortem. Propterea lætamini cæli, & qui habitatis in eis!* Tibi ergò ſcitiſſime, melliſſime, ſanctiſſime, ac de genere humano meritiſſime JESULE, *benedictio; & honor, & gloria, & poteſtas, in ſecula ſeculorum*

DIXI.

15.

# *Annotationes variæ*
In
PRÆCEDENTEM ORATIONEM,
De
# SIBYLLARUM ORACULIS.

TAles (*a. pag. 1.*) nebulones, qui os contra majestates in cœlum ponunt, Petrus innuit, quando 2. Epist. cap. 2. ℣. 10. inquit: Καὶ κυριότητος καταφρονῦντας. Τολμηταὶ, αὐθάδεις, δόξας δὲ τρέμουσι, βλασφημοῦντες; *Qui gloriâ præcellentes non verentur convitiis incessere & contemnere*, quos Scriptura *Filios Belial* appellat 1. Sam. 10. ℣. 27.

(*b. pag. 1.*) ARII hæresin imprimis Athanasius dedit perpexam, & utut dederit, sermo tamen ejus instar gangrænæ serpsit, *ut*, inquirente Hieronymo contra Luciferianos, *totus mundus ingemuerit, & Arianum se esse cognoverit.* Ejus blasphemiæ, ut passim apud Athanasium videre est, erant: *Patrem* (primam Personam Trinitatis) *non semper fuisse Patrem; solum esse* ἄῤῥητον, *solum non habere similem, non* ὁμόδοξον; *solum immortalem,* ἄναρχον, *æternum;* ἀχώνητον, *Deumque, ubi opponatur filio, vocari; Vt omnium, ita proprij filij creatorem esse, qui filium fecerit principium; cujus alia, quàm filij, aut Spiritus Sancti sit substantia, Filio invisibilis, per quem res alia ideò non sint creatæ, quia ipsius manum nequiverint ferre*: Vicissim λόγον, *sive filium esse Deum creatum, creaturam & facturam,* πρωτοτόκον *omnium creaturarum, primum creatum ex nihilo, naturâ suâ mutabilem, etiam ad malum, si vellet; cui Pater, quia eum præviderit præstiturum integritate, gloriam dederit, Deum non verum, sed* λόγον, *ut alij sint* λόγοι, *quos Deus loquatur; creatum à Patre, cum is proposuisset nos creare, & tum à Patre* λόγον, *& Sapientiam nominatum, ut nos per eum crearet, quia meram Patris manum creatura ferre non potuerint*, & quæ sunt id genus blasphemiarum βδελύγματα adhuc plura, quæ homo insensatus eructa-

ctavit, donec juſto Dei judicio, *cùm latrinam ingrederetur, ruptus viſcera effudit, & ab Eüſebianis complicibus ſepultus fuit cum pudore* &c. Hujus blaſphemias ſuperiori ſeculo per vulgò dictos Photinianos denuò in ſcenam reproduxit mendaciorum ſpiritus, quarum innovationem noſter *Hafenreſſerus* p. m. *ultimum diaboli conatum adverſus Evangelij reſplendeſcentem faculam* auguratus eſt; cui Theologorum noſtrorum calamus hactenus ſanctiſſimo zelo eo eventu ſeſe oppoſuit, quem *verba ſapientium, tanquam ſtimuli & clavi in altum defixi in receſſu habent, verba*, inquam, *quæ per Magiſtrorum conſilium data ſunt à paſtore uno*, Eccl. 12. ℣. 11. 12.

## *De errore Neſtorii, etiamnum in Eccleſia graſſante.*

Tom. 2. miſcell. Lat. p. 1052.

(6. pag. 1.) Pauci Neſtorii errorem rectè intelligunt. Sunt, qui putant, *Neſtorium apertâ profeßione duas in Chriſto naturas ſeparaſſe, ac perſonam ejus diviſiſſe*: quod Neſtorio tribui non poteſt, quippe qui ad tertium anathematiſmum Cyrilli, ut videre eſt *Tom. 1. Concil. fol. 3035.* ita reſpondit: *Si quis non ſecundùm conjunctionem unum dixerit Chriſtum, qui eſt etiam Emanuel, ſed ſecundùm naturam, ex utraque etiam ſubſiſtentiâ, tàm Dei verbi, quàm etiam ab eo hominis ſuſcepti in unam filij connexionem, quàm etiam nunc inconfusè ſervamus, minimè confitetur, anathema ſit.* In hoc autem luto utrumque crus impactum habuit, quod à Chriſti ex matre nativitate divinitatem planè excluſit, concedendo quidem, *Virginem Mariam eſſe* Χριστοτόκον, hoc eſt, *peperiſſe Chriſtum*; negando autem eſſe Θεοτόκον, hoc eſt, *etiam peperiſſe Deum; quia propria naturarum non poßint communicari, etiamſi amba naturæ in unam perſonam ſint unita; quæ unio ſalva maneat, etiamſi propria naturarum mutuò non communicentur.* Huic opinioni ducenti patres Concilii Epheſini ſe graviter oppoſuerunt, & firmiter ſtatuerunt, *quod ſalvâ Vnione perſonali in Chriſto communicatio idiomatum negari non poßit*, & Neſtorium, hanc communicationem negantem, conſequenter damnarunt, *quòd Vnitatem perſonæ ſolveret, & Chriſtum in duas Perſonas divideret*, ut ut in animo nihil minus, quàm hujusmodi diviſionem foverit, & ſanctè contrà ſemper fuerit proteſtatus, *ſe unum Chriſtum, ex duabus naturis conjunctis & unitis religiosè ſtatuere atque credere*: Uſus etiam vocabulo *Perſonæ*, ut innu-

innueret; *Persona, tanquam termino, ad conservandam ejus unitatem, omnia adscribi debere, ita tamen, ut quæ sunt divina, tantùm naturæ divinæ, & quæ sunt humana, tantùm naturæ humanæ, sine ulla communione naturarum adscribantur*: An, per amorem Christi? ovum ovo similius est, quàm similes sunt in hac quæstione Jesuitæ Nestorio? Annon unam per conjunctionem naturarum in Christo Personam his allegatis verbis tàm confessus est Nestorius, quàm confitentur Jesuitæ? sed & communicatione propriorum, verbi gratiâ, ἰδιωποιήσει, ad quam etiam τὸ *posse nasci* pertinet, ab iisdem tàm negatâ, quam negavit Nestorius: *Quid enim est, ἰδιωποίησις*, scribit Forerus in Manuali c. 2. pag. 199. *quàm appropriatio? perinde igitur est, ac si dicas, per & propter appropriationem λόγος omnia, quæ carnis sunt, verè & realiter sibi appropriavit. Nugæ*, subjungens, *nugarum*. Sed & sicut divisionem Personæ ex negatâ communicatione Idiomatum sequi negavit Nestorius, magnâ contentione asseverans, *se in Christo etiam post incarnationem Personam conjunctione naturarum unam sanctè credere*; ita Jesuitæ, cùm Nestorio communicationem Idiomatum negantes, hanc ipsam illationem inde consequi cum Nestorio pernegant, prætendentes; *Personalem communicationem immediatè solùm esse communicationem Personæ, non naturæ, aut proprietatum naturalium.*

Aridæ, quæ *Forerus* cap. cit. p. 203. quærit, ficus folia sponte sua de arbore doctrinæ Jesuiticæ decidunt: *Isthæc*, inquit, *nostra Catholica & orthodoxa doctrina tantum abest à Nestorianismo, ut ei è diametro opponatur.* Nam I. inquit; *nos docemus Christum non purè hominem, sed divinâ hypostasi subsistentem, è virgine natum, & mortuum; secus docuit Nestorius.* Quomodo secus? ubi nam secus? Annon Mariam χριστοτόκον esse, hoc est, Christum, adeoque hominem personaliter cum Deo conjunctum, ac divinâ hypostasi subsistentem, è virgine natum & mortuum docuit? II. inquit: *Docemus: verâ substantiali unione unitam esse humanitatem personæ: id negavit Nestorius; ratus filium Dei unitum esse homini non substantialiter, sed accidentaliter, per inhabitationem & dilectionis affectum.* Respond. Confessus est Nestorius, & statuit, *Christum conjunctione unum; Christum*, inquam, *qui est Emanuel secundum naturam, ex utraque etiam substantia, tàm Dei verbi, quam etiam ab eo hominis suscepti, in unâ filij connexione*: Si igitur naturarum in Christo conjunctio ex sensu Nestorii tantùm accidentalis est, ut Forerus non procul à vero arguit, mul-

tò magis talis erit ex sensu vel hypothesi Jesuitarum, quippe qui vel subsistentiam assumptæ carnis tantùm per *sustentationem* explicant, quando propositionem personalem, *Homo est Deus*, exponunt: *Filius Dei, sustentans humanam naturam, est Deus*: Disput. 4. Gerlachii *de Persona Christi Salvatoris, contra Busæum thes. 158.* pag. 281. 282. III. Inquit: *Nos, quando dicimus, Christum, ut* Subjectum Quod, *esse natum & passum, includimus, hypostasin increatam; Nestorius inclusit solùm creatam, & verè humanam.* Resp. Forerus, inquiendo, *Christus, ut* Subjectum Quod, *est natus, passus*, increatæ personæ Filii Dei hæc humanæ naturæ propria realiter tribuit, aut non tribuit. Si tribuit, habemus, quod volumus, nempe realem Communicationem idiomatum à naturâ ad naturam, quia hypostasis increata Filii Dei à naturâ Filii Dei characterisatâ nec essentialiter, nec realiter, nec formaliter differt, ut id, quod increatæ hypostasi realiter est appropriatum, non possit non realiter appropriatum intelligi etiam ejus naturæ; quæ consequentia procedit etiam in ὑπερῴωσει, hoc est, in communicatione propriorum assumentis naturæ Divinæ, respectu assumptæ naturæ humanæ, ex hoc fundamento; quia hæc hypostasis tàm increatum, immensum, & independens quid est, quam sunt reliqua attributa absoluta divina. Si ergò τὸ *increatum, immensum, independens esse Personæ Verbi* non obstitit, quo minus ipsa fuerit communicata assumptæ naturæ humanæ, quod Forerus cum suæ Societatis contribulibus admittit & fatetur; nulla utique ratio dari potest, cur hoc ipsum *increatum, immensum, & independens* absolutorum Idiomatum obstiterit, quò minus etiam ipsa assumptæ naturæ humanæ communicari potuerint. Ubi frustrà est Forerus, quando & *Ratione & Instantiâ* hanc consequentiam à Personâ ad Naturam in Manuali p. 202. infringere allaborat. *Ratione* quidem; *Quia personalis Communicatio sit immediatè solùm communicatio Personæ, non naturæ, aut proprietatum naturalium: Hinc fieri, ut, si qua attributa divina & humana reciprocentur, reciprocentur immediatè tantùm de Personâ, non de naturâ, & prædicentur tantùm in Concreto, non Abstracto.* Frustrà, inquam, est hæc Foreri exceptio, quæ est latens sub vocabuli *Personæ* æquivocatio, ac si per *hypostasin seu Personam* à naturis in Christo unitis *Tertium quiddam* distinctum, aut *Personalitas aliqua Metaphysica* intelligenda esset; quæ ἀνάψις purè philosophica est, hujus mysterii profunditatem ne quidem lam-

lambens, nedum tangens, in quo Persona & Natura Verbi differentiam realem purè respuunt, & in hoc mysterio pari passu ambulare arguuntur: Ut taceamus, prædicationem personalem etiam in Abstracto, ob communicationis naturam absolutè non rejiciendam esse, non solùm ob simplicissimam Verbi, *quod caro factum est*, naturam, in qua Deus & Divinitas simplicissimè sunt ταυτὸ, sed & ob assumptæ humanæ naturæ veritatem, quæ etiam abstractivo *humanitatis* vocabulo, non equidem præcisione abstractionis per intellectum metaphysicè, sed per communicatam hypostasin in Christo *existens* exprimitur, & prædicationis naturam in concreto induit: à quâ tamen prædicatione, ne Eutychetis errori, cujus *Iesuita & Reformati*, sed falsò, nos accusant, favere videamur, abstinemus, quia tàm loquendum est, ut multi, quàm sapiendum, ut pauci; Et sic *Ratio* Foreri cadit, quia verâ ratione est destituta. *Instantia*, quâ consequentiam à communicatione Personæ ad communicationem ad Naturam, infringere laborat, speciem habet, sed non fundamentum. *Si*, inquit, *propter Personam communicatam, aut appropriatam utrumque prædicatum utrique naturæ rectè tribuitur, licet naturæ ipsæ immediatè inter se non uniantur, cur non etiam liceat ratiocinari? Pater communicat Verbo naturam divinam; Ergò Pater est Filius, & Filius est Pater: item, Pater generatur, & Filius generat; quia Paternitas & Filiatio eandem naturam communicant, etsi Paternitas & Filiatio inter se distinguuntur.* Resp. 1. Falsâ nititur hoc argumentum hypothesi, quâ supponitur, *naturas ipsas immediatè inter se non uniri.* Imò naturas immediatè uniri in personâ, tanquam in termino, analogia hujus mysterii evincit; quia *persona*, propriè loquendo, *non est uniri*, sed assumere; Personam enim assumpsisse naturam rectè dicimus, Personam autem naturæ *uniri aut unitam* minus rectè & commodè, quia Unio Personalis non dicitur *unio Personæ & Naturæ*, sed *unio duarum naturarum in Personâ*, tanquam in unionis termino. 2. Manifesta committitur Fallacia ἀπὸ τὸ ἐπόμενον quia argumentum à naturâ ad arguendam certam Personam in divinis non stringit, sicut stringit à persona ad arguendam naturam; Utut enim in argumenti regressu identitas personæ & naturæ eadem sit attamen à naturâ, ut in Foreri argumento fit, statim ad determinatam vel Patris, vel Filii, vel Spiritus Sancti Personam non valet, ut validum est à Personâ ad arguendam naturam ejusq; proprietates & idiomata; quia Natura in Divinitate tribus Personis est communis, quam econ-

tra Personæ suis Characteribus determinant, & determinatam ad singularitatem divinæ subsistentiæ restringunt, ut in Trinitate quidem sit ἄλλος καὶ ἄλλος, *alius atque alius*, non ἄλλο καὶ ἄλλο *aliud atque aliud*; quod ad allatam instantiam Foreri enervandam sufficit. Si autem Forerus, inquiendo, *Christus, ut* Subjectum Quod, *est natus & passus*, increatæ Personæ Filii Dei hæc humanæ naturæ propria realiter non tribuit; intus & in cute Nestorianus est, ipsi Nestorio injuriam inferens, ac si is prædicando de Christo, ut *subjecto Quod*, quod sit *natus, passus*, solùm creatam & verè humanam hypostasin includisset: Affingit hoc Forerus Nestorio: cui duæ hypostases in Christo, creata & increata, nunquam in mentem venerunt, utut Patres Concilii ex ejus hypothesi de negatâ Communicatione Idiomatum hanc personarum dualitatem, per legitimam consequentiam, concluserint; cujus expressa verba in Act. Conc. Ephes. tom. I. cap. XIII. fol. 952. ita habent, *quòd nomina Iesus Christus, Vnigenitus humanæ divinæque naturæ ex æquo conveniant, & quòd etiam Apostolus* Τὸ Χριστὸς *nomen utrique naturæ commune ponat, quo idem Christus patibilis simul, & impatibilis citra fidei discrimen concipi queat; illud quidem secundùm humanam naturam, hoc verò secundum divinam*; non secus, ac Jesuitæ faciunt, qui dicendo, *Christus, qua Deus, non est Mediator* (hoc est, pro nobis non est passus & mortuus) *non excludunt divinæ naturæ conjunctionem & præsentiam, sed solùm physicam influentiam specialem illius per modum proprij principij activi Quo*, ut Foreti verba in Manuali p. 211. expressè habent; quod utique examussim Nestorianum est, quia Nestorius à nativitate, passione & morte Christi divinæ naturæ conjunctionem & præsentiam non excluſit, sed tantùm illius physicam influentiam per negatam communicationem idiomatum, ut hæretica (ex asse *Iesuitica*) ipsius verba loco citato Concilii Ephes. tom. 1. C. XVIII. fol. 953. habent: *Vbicunq; igitur*, inquientis, *divinæ Scripturæ dominicæ dispensationis mentionem faciunt, cùm incarnationem, tùm ipsam quoque mortem & passionem non divinæ, sed humanæ Christi naturæ semper tribuunt. Quapropter si rem diligentiùs consideremus, sacra virgo non Deipara* (Θεοτόκος) *sed Christipara* (Χριστοτόκος) *appellanda erit*: Tantum abest, ut Forerus hoc pacto Nestorianismum à se amoliatur, ut potius instar soricis, se Nestorianum esse prodat.

Sed

Sed quia etiam *Reformatos* cum *Neſtorio* æquè, ac *Raſos*, puta, *Ieſuitas*, quoad hoc ἄκκσμα in eadem domo *habitare* diximus, operæ pretium eſt, etiam horum ficulnea folia expendere, quibus hanc maculam tegere laborant. Audiamus *Mareſium*, qui noviſſimè in ſuæ *Syl-loges Diſputationum ſelectarum* parte ſecunda, diſput. I. ex profeſſo contra Anonymum quendam Neſtorii defenſorem tria capita tractanda ſuſcepit, quorum duo poſteriora ſunt; *1. Neſtorium ab hæreſi liberari non poſſe; & 2. Mariam Virginem* θεοτόκον *appellari debere contra Neſtorium*: *Primum*, quod concernit, refutare laborat *Mareſius* hunc Anonymum, qui ſcripſit; *Diſtinxiſſe quidem naturas in Chriſto, ſed non ſeparaſſe Neſtorium, & Chriſtum verum, unumque Dei filium duabus naturis, divinâ & humanâ, in unam perſonam convenientibus, agnoviſſe:* ſed & quod *ſecundum punctum* de virgine Maria attinet, eundem rectè negaſſe, eam θεοτόκον, *hoc eſt, Deiparam dicendam eſſe.* Prius *Mareſius* intrepidè negat, aſſerens contrà, *omninò Neſtorium Dominum noſtrum Ieſum in duos diviſiſſe filios, & alium eſſe dixiſſe Deum ex Deo Patre: alium, qui ex ſancta ſemper virgine natus*: adductâ authoritate *Vincentij Lirinenſis*, qui Neſtorio fuerit coævus, & Communit. 1. c. 17. ſcribit: *Neſtorius contrario Apollinaris laboravit morbo, dum ſeſe duas in Chriſto ſubſtantias diſtinguere ſimulat, duas introducit repentè perſonas, & inaudito ſcelere duos vult eſſe filios Dei, duos Chriſtos, unum Deum, alterum hominem, unum, qui ex patre, alterum, qui ſit generatus ex matre. Atque ideò aſſerit, ſanctam Mariam non* θεοτόκον, *ſed* χριστοτόκον *eſſe dicendam*, &c. *quia ſcilicet ex ea non ille Chriſtus, qui Deus, ſed ille, qui erat homo, natus ſit* &c. Addit inſuper Mareſius; *Neſtorium non alio ſenſu* ἕνωσιν προσωπικὴν *in Chriſto admiſiſſe, quàm quomodo duæ perſonæ diſtinctæ, v. g. vir & uxor, in unumquid coaleſcere poſſint, ut Chriſtum ex virgine natum non tàm Deum, quàm* θεοφόρον ἄνθρωπον *ſtatuerit, uti ex Epheſ. Can. anath. 5. liqueat; nec aliam* ἕνωσιν *naturarum admiſerit, uti videre ſit Can. ſive anath. 4. Concilij quinti, quàm κατὰ συγχύσιν ἢ ἐνέργειαν* &c. Reſp. Veriſimile eſt, Mareſium Conſilio Epheſ. non inſpecto hæc ſcripſiſſe; nec enim gry de *viri* & *uxoris* conjunctione in allegato anathemate habetur. Neq; 2. Neſtorius ſuo ſenſu naturas in Chriſto ſeparavit, ſed ut Mareſii Anonymus rectè ait, diſtinxit, Chriſtumque duabus naturis, divinâ & humanâ in unam perſonam convenientibus, quemadmodum ſuprà ejus confeſſio fuit producta, agnovit, planè

ut agnoscit *Maresius*, 3. Communicationem idiomatum Nestorius negavit, planè ut negat *Maresius*. 4. Hoc tamen non obstante, unitatem personæ asseruit, concedendo, Mariam χριστότοκον esse, *Christum peperisse*, planè ut concedit *Maresius*. 5. Christum θεοφόρον esse & ἕνωσιν κατὰ παράστασιν ἢ ἐνέργειαν Nestorius statuit, planè ut statuit *Maresius*, thesi XXXVI. Anonymo adversario respondens, *humanitatem Christi tantùm adjunctum personæ sustentantis esse*; quod adhuc levius est, quam Nestoriana duarum naturarum in unam personam, licet citra propriorum communicationem, conjunctio. 6. In eo, ut dicamus, quod res est, *Maresius* Nestorio adhuc iniquior, quia Nestorius negatâ communicatione idiomatum consequenter rectè negavit, Beatam Virginem θεοτόκον, *Deiparam* esse, ipse v. *Deiparam* esse, magno, ut videri vult, Zelo, propugnat, utut Nestorianæ communicationis Idiomatum negationi, tanquam polypus saxo, inhæreat, Anonymumque adversarium, θεοτόκον cum Nestorio negantem, magnâ opum vi refutare præsumat. Qui enim *Deipara* esse potuit Beata Virgo, si divinæ Christi naturæ per unionem personalem humanæ naturæ proprietates (inter quas etiam *Tò potuisse ex Maria Virgine nasci referendum est*) non sunt appropriatæ? sicut *Maresius* cum suis Reformatis contrà syncerè Evangelicos appropriatas esse mordicùs negat, quos ob assertam hanc appropriationem *Eutychianismi* accusat, & tamen per syncretismum in communionem eorum Ecclesiæ recipi desiderat: num in communionem ejus Ecclesiæ, quam damnatâ *Eutychetis* hæresi contaminatam esse diffamat? Tantum abest, ut *Reformati* à Nestorii errore sint immunes. Quod ad duas personas attinet, quas *Nestorium* introduxisse Antiquitas constanter testatur, & quidem *Vincentius Lyrinensis* disertim; sciendum est, *Maresium* studiosè confundere Nestorii *hypothesin* de conjunctione duarum Naturarum in Christo in unam personam citra communicationem idiomatum, unde B. Virginem θεοτόκον, *Deiparam* esse negavit, cum *consequentiâ*, quam Patres Concilii Ephesini de divisione personæ Christi in duas personas legitimè ex Nestorii sententiâ intulerunt, quam consequentiam tamen Nestorius nunquam admisit, Ἀδιαιρέτως negando, quòd Christus in duas personas dispescatur, etiamsi communicatio idiomatum negetur, & divinæ naturæ tantùm divina, ac humanæ naturæ tantùm humana propria adscribantur, planè ut *Maresius* unitatem personæ in Christo confitetur, inquiendo, ejus *humanitatem personæ sustentantis adjunctum esse*; contrà

trà verò negando, quòd ex negatâ communicatione Idiomatum duæ personæ sequantur; quod si Nestorianum non est, quid vel tandem erit? Et quidem tantùm de errore Nestorii etiamnum in Ecclesia grassante.

(*d. pag. 1.*) Tàm execrabiles sunt Judæorum blasphemiæ, quibus Christum, qui *Sanctus Sanctorum* est, proscindunt, ut sola eorum recitatio culpâ non carere videatur, etiam in Matrem ipsius, Virginem semper gratiosam, Maledictionum telis vibratis, quam *Hæriam*, hoc est, *sterquiliniam*, Christum verò *Mamser*, hoc est, *spurium*; *Talui* & *Thola* hoc est, *suspensum* appellant, ad cujus nomen, si soli sunt, ter interram expuunt, dicentes *immach Shmo*, hoc est, *deleatur nomen ejus*: Traditione insuper ex diabolicâ malitiâ excogitatâ, Christum quotannis hac ipsâ, quâ festum natalitiorum celebramus, nocte omnes cloacas perreptare cogi, ut domesticis suis terrorem incutiant, ne istâ noctè è cubiculis suis audeant prodire &c. *Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit, qui habitet* &c. Psal. 69. ℣. 26.

(*e. pag. 1.*) Autorem hujus de *Tribus Impostoribus* libri equidem summè detestatur *Thomas Browne*, quem in suo libello, cui titulum fecit, *Religio Medici*, sect. XIX. his diris devovet: *Monstrum illud hominis, Diis inferis à secretis scelus, nefarij illius tractatus de Tribus Impostoribus author quantumvis ab omni religione alienus, adeò ut nec Iudæus, Turca, nec Christianus fuerit*; utrum autem consequenter judicium suum de eo ferat, quando subjungit; *planè tamen atheus non erat*, videre non possum: qui enim ab omni religione alienus est, quomodo atheus non est? siquidem solius religionis est, *Deum esse* affirmare; hac ergò negatâ, negatur omnis de Deo confessio; & hac negatâ, quid præter Atheismum remanet? qui tum demum directè Atheistarum mentes occupat; *cùm quasi omnem cognitionem, sensum atque fidem Numinis in corde suo, quantum in se est, extinxit*; ut *Spizelius* in *Scrutin. Atheismi* pag. 11. eum ab effectu describit. Porrò, quod ad Scholiasten *Thomæ Brounæ*, nempe *Levinum Nicolaum Molkium* attinet, qui annotationes in ejus libellum satis eruditas scripsit, auguratur ille, authorem hujus pestilentissimi libri fuisse *Bernhardum Ochinum*, qui fuit Italus, librumq; itidem pestilentem de *Polygamia* scripsit, quem Beza refutavit; cujus etiam Campanella *Poggium Florentinum, in Atheismo triumphato* suspectum reddit; *Mersennus* a. *Comm. in Genesin* ex singulari cujusdam amici, qui librum illum legit,

Jo-

& ſtylum cognovit, indicio *Aretinum* eſſe refert; quem utut Paulus Jovius in *Elog. Doct. Viror.* fol 19. Græcarum literarum decus celebret,& de literis meritiſſimum, tamen Atheum & Atheiſmi Doctorem fuiſſe,Itali ipſi, quorum pullus erat, tacere non potuerunt. Non abſimilis procul dubio,fœtus eſt liber,quem de *Nullitate Religionis Chriſtianæ* Bodini cerebrum, obſtricante Diabolo, parturiiſſe ajunt: hos talesque libros cum authoribus infernali buſto, nedum ultricibus noſtri foci flammis adjudicandos eſſe, nemo, cui Chriſtus cordi eſt, negabit; quam ſortem expertus eſt *Iulius Cæſar Vaninus*, cujus etiam *Molkius* in Annot. *Relig. Medici*, l. c. & *Spizelius* in alleg. *Scrutin Atheiſmi* pag. 19. mentionem faciunt, itidem Italus, patria Neapolitanus, infamis Atheorum aquila, qui, ut *Merſennus*, l. c. ſcribit, cum Toloſæ ob impietatem vivus combureretur, faſſus eſt, tredecim Neapoli fuiſſe emiſſos, qui per omnem Europam *Atheiſmum* ſpargerent, ſibi autem Lutetiam contigiſſe, ubi ſpartam ſuam egregiâ impietate exornaverat; & quidem ſatis callidè, diſputationibus primùm adverſus Atheos virus ſuum tegendo, viâ autem hoc pacto ad illud ſpargendum ſtratâ, atque autoritate, in ſuo *Amphitheatro Æternæ Providentiæ Divino Magico* ſibi conciliatâ, in quo Providentiam Divinam adverſus yetereres Philoſophos, Atheos, Epicureos ita defendit, ut potius eam proſtituerit, & proſtituendo infirmiores in præſentiſſimum dubitationis ſalum conjecerit; donec ut anguis in herba cognitus, & nullo pœnitentiæ ſigno dato horrendum ſupplicium yivicomburio exolvit, ſupplicium, inquam, quod ἐπιεικείᾳ decollationis aut ſuffocationis per laqueum antecedaneæ fuiſſet moderandum.

(*f. pag. 3.*) De etymo vocis *Sibyllæ* autores paſſim tradunt, imprimis *Onuphrius* lib. de Sibyllis, *Peucerus* in Commentario de præcip. divinat. generibus, *Eraſmus Schmid* in Sibyllinis Orationibus, ſtatim Orat. I. *Iacobus Martini* in Exercit. Metaph. lib. 2. Exercit. pag. 726. & ſeqq. *Boiſſardus* in Opere Poſth. de divinat. & Magic. præſtigiis fol. 5. Ut & de numero Sibyllarum locis cit. de quo Autores valdè discrepant. Sunt, qui vocem *Sibyllæ* ante tempora Tarquinii, cui *Cumæa* ſua carmina vendidit,ignotam fuiſſe putant.

(*g. pag. 3.*) Petulantiæ, non ignorantiæ eſt, negare, *unquam Sibyllas fuiſſe*; Nubes teſtium præ oculis eſt, eas & fuiſſe, & furore percitas oracula fudiſſe, *Plato*, *Ariſtoteles*, *Diodorus*, *Strabo*, *Plu-*

*Plutarchus, Ælianus, Pausanias, Scholiastes Aristophanis, Hermias Philosophus, Cedrenus, Suidas, Procopius, Agathias, Iamblichus, Virgilius, Livius, Ovidius, Tacitus, Plinius, Solinus, Arnobius, Lactantius*, ex Varrone: *Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Amm. Marcellinus, Martianus, Cappella, Donatus, Servius* in Virgilium, *Isidorus*, & recentiores Theologi ex his, inprimis ex *Lactantio*, Sibyllas & fuisse, & oracula fudisse, & sua antra occupasse, & alia plura, calamo, utut quoad circumstantias differente, quoad rem tamen unanimi, asseverant & testantur; sed quod ad authentiam oraculorum, quæ illæ fuderunt, & quemadmodum in octo libris digesta adhuc extant, attinet, quæstio gravior est, de quâ de hinc in genere; quod autem *Cumææ* & *Erythrææ* speciatim de Christo edita, & à nobis in habitâ Oratione producta oracula concernit, deinceps de iis agemus.

(*b. pag. 3.*) Confer *Historicas* nostras *Institutiones* lib. 1. cap. XIII. Ubi Canon. num. VI. hic traditur. *In historiarum lectione disparitas Circumstantiarum unius & ejusdem historiæ à diversis descriptæ lectorem non terreat, ut historiam talem protinus fabulam esse suspicetur.* Declaratur simul inibi hic Canon ratione & exemplis.

(*i. pag. 4.*) vid. Peucerum de *præcipuis divinationum generibus*, imprimis de Χρομαντείᾳ pag. 119.

(*k. pag. 5.*) *Quæstio generalis præmissa: An Sibyllina Oracula, sicut octo libris comprehensa hodie extant, sint authentica, & non potius, in iis præsertim, quæ Christi nativitatem, miracula, passionem & mortem concernunt, pro supposititiis sint habenda?*

Sunt, qui *authentica* esse affirmant: sunt viciſſim, qui contrarium statuunt, & *suppositicia* esse dicunt; Utrinque viri magni. Qui *authentica* esse dimicant, sunt, sicut ex Oratione habitâ l. c. constat, ipse *Eusebius*, sidus antiquitatis perilluſtre: quem sequutus est *Baronius* in Annalibus; *Bellarminus*, qui, ut meminimus, hæc oracula Photinianis, divinitatem Christi negantibus, opponit, item *Iacobus Martini* in Exerc. Metaph. *Erasmus Schmidius* in Sibyllinis Orat. tertiâ, *Notis in Nov. Test.* annexâ; *Boissardus* in *Tractatu posthumo*; D. *Gerhardus* in Tomis; D. *Franzius* de interpr. Scripturæ; alii. Audiamus ergò, quæ singulorum sit sententia.

*Eusebÿ* sententiam quod concernit, subjecitis quatuor libris de vitâ Constantini *Orationem* sub nomine *Constantini*, *τῷ τῶν ἁγιῶν συλλόγῳ* inscriptam, cujus pars de divinitate Christi etiam extraneorum testimoniis astruendâ absolvitur, in quibus etiam illa *ἀκροστιχὶς* affertur, cujus initiales literæ Salvatoris nomen & crucem exprimunt; quam etiam nos in hac Oratione, ut deinceps audiemus, pro authentica habuimus. Hanc acrostichidem postquam Eusebius recitavit, adeò eam pro anthentica habuit, ut subdiderit: *Et hæc virgo perspicuè vaticinari potuit. Hanc ego quidem beatam judico, quàm Servator providentiæ suæ ergà nos vatem elegit.* Etiam refutatis, qui eam pro supposititia habuerunt, quando pergit: *Verùm multi sunt, qui hanc istà vaticinatam esse non credunt, quamvis Sibyllam Erythræam vatem fuisse confiteantur, sed suspicantur, aliquem nostræ religionis, poëticæ Musæ non expertem, hæc condidisse carmina: νοθεύεσθαί τι αὐτὰ, hoc est, esseque illa adulterina, cùm utiles sententias habeant, multam voluptatum licentiam amputantes, & ad temperatam, & honestam vitæ conversationem ducentes. Est autem*, pergit, *veritas in propatulo, eò quòd nostræ religionis viri tempora diligenter & exactè collegerunt, non posse conjecturari, quòd poëma hoc à quopiam sit post Christi factum descensum & judicium. Est enim in confesso, Ciceronem hoc perlegisse, illudque in Romanam dialectum transtulisse, & commentariis suis inseruisse; denique hunc imperante Antonio interemptum* &c. Longum esset referre, quæ de quartâ Eclogâ Virgilii ex Sibyllæ Cumanæ carmine desumptâ, in hanc sententiam idem commentatur, ex quibus præsumptio, quæ suppar est demonstrationi, hæc sumi tur; Si ex mente Eusebii hæc de Christo acrostichis authentica est, & pro adulterina non habenda, omninò etiam Sibyllarum carmina, quæ tum temporis circumferebantur, & adhuc extant, reliqua pro authenticis esse habenda, nec rejicienda inter supposititia.

Quæ *Baronÿ*, ejusque Epitomatoris *Spondani*, & *Bellarmini* de horum carminum *ἀυθεντίᾳ* sit sententia, brevitatis causâ tantùm ex *Spondani* verbis colligamus, quæ A. Chr. 19. num. 11. hæc sunt: *Anno verò Domini decimo nono, quo creati sunt Cos. (Cælius Rufus & L. Pomponius Flaccus) cùm vana quædam oracula, tanquam Sibyllina, de Vrbis interitu, anno nongentesimo ab ejus origine obventuro ferrentur, idem Tiberius Imperator tanquam falsa redarguit, eaque occasione omnes fatidicos libros inspiciens, legitimos ab spuriis selegit. Quod etiam olim*

*olim ante Christi adventum jussu Augusti de iisdem Carminibus Sibyllinis, toto orbe conquisitis, factitatum auctores (Tacit. l. 5. Suet. in Octav. c. 31. Dio lib. 34.) testantur. Nec est dubium, quin ista magnâ providentiâ contigerint, ut qua adversus Gentiles Christiani ex iisdem libris de adventu Christi citarent, nullâ impostura suspicione accusari jure possint.* Quid pro authentiâ horum carminum dici potest disertiùs? *Bellarmini* fiducia, in authentiam horum Carminum posita, ex eo colligenda est, quòd l. 1. de Christo c. 2. peculiarem classem argumentorum pro asserenda Deitate Filii Dei contra Photinianos ex illis produxit; asserens, *Sibyllas multa clariùs prædixisse, quàm ullus Prophetarum prædixerit*; simulque provocans ad *Clementis* testimonium, quod *Paulus* gentiles sit hortatus ad carmina Sibyllarum legenda. Ex quo consequens est, eum, si quoad claritatem non certiorem, saltem quoad certitudinem non minorem authentiam his oraculis tribuere, quam Scripturæ tribuit; secus quî Deitatem Christi contra Photinianorum blasphemias ex iis probare conatus fuisset?

Hanc ipsam sententiam fovit etiam, ut paulò suprà dictum, *Erasmus Schmidius in Oratione tertiâ, Notis* ejus *& animadversionibus Novi Testamenti* annexâ, ubi post sollicitam remotionem à statu quæstionis eorum librorum, qui annis 81. ante Christum natum cum Capitolio exusti fuerunt, & in quæstionem amplius venire non possunt, tandem de illis octo libris, qui tempore Augusti paulò ante Christum natum passim ex toto mundo comportati, & censuræ XV virorum Romæ subjecti fuerunt, fol. 1506. scripsit: *Ego verò pro genuinis Sibyllinis carminibus eos acceptare non dubitem*; cum operoso conatu solutionis argumentorum, quæ contra eorum *αὐθεντίαν* à præstantissimis viris afferuntur, inquam solutionem, qualisnam sit, deinceps inquiremus.

Nec de hac ipsa authentia dubitat *Iacobus Martini* in Exercit. Metaph. l. 2. p. qui acrostichidem, quæ ab Eusebio *Erythræa* adscribitur, pro ea habet, quam Cicero l. 2. divin. sibi lectam testatur; nec *Wolffgangus Franzius*, qui Eusebio calculum in Tractatu de *Interpret. Script.* pag. 203. & seqq. imprimis de acrostichide liberaliter adjicit; nec *Gerhardus*, cui ideò horum Carminum autoritas suppositionis suspecta esse non potuit, quia in dedicatione *Harmoniæ Evangelicæ* de passione & crucifixione Christi præfixâ, ea, quæ de Christo apertissimè loquuntur, intrepidè, ac si eorum *αὐθεντία* omni scrupulo careret, al-

legat; nec, ut alios multos præteream, *Ianus Iacobus Boissardus Vesontinus*, qui in *Tractatus posthumi de divinatione & magicis præstigiis* epistolâ dedicatoriâ *ipsum Spiritum Sanctum* nonnunquam per Sibyllas locutum fuisse autumat, ut nomen *Iesu Christi*, tempus item ejus adventus, locum nativitatis, vitam, miracula &c. apertissimè exprimerent; addito: *Non esse, quòd harum scriptis quidam fidem derogent*; allegatis simul verbis Eusebii, quibus suppositionis scrupulum in agnoscendâ αὐθεντία lectorum animis eximere allaborat.

Econtra qui hæc carmina authentica esse negant, & pro suppositititiis habent, sunt gravissimi viri, quibus cerebrum non in calcaneo est, viri in antiquitatis memore versatissimi, rationibus ducti gravissimis, quæ omninò dignæ sunt, quibus animus advertatur.

Hos inter meritò primo loco numerandus est D. *Iohannes Opsopæus*, qui Sibyllina Oracula, quæ octo libris impressa extant, ex vett. codd. aucta, renovata, & notis illustrata anno 1607. magnâ diligentiâ Parisiis edidit, & in præfatione ad Lectorem eorum authentiæ ea argumenta opponit, quæ solertissimis ingeniis negotium facessunt, nec dum à quoquam solidè soluta extant; exempli gratiâ: *Testari Patres, Iustinum Martyrem, Tatianum, Clementem, Alexandrinum, Eusebium, ac cæteros Scriptores Ecclesiasticos, nullam Sibyllam Mose priorem fuisse; Et tamen Sibyllam nostram lib. 3. de Mose vaticinari, diluvium prædicere, ac profiteri, se cum suo marito, socero ac socru, cum leviribus & gloßibus in diluvio jactatam fuisse; quod utique insolens sit; & vaticinium tanquam posttres gestas prolatum vanum reddat.* Porrò quod plurima ex his libris oracula post Christum natum sint conscripta, tria argumenta affert. 1. *Quia libro V. Sibylla asserat, se alterum incendium ædis Vestalis vidisse; quod teste Eusebio in Chronicis sub Imperatore Commodo contigerit, quo cum Veste ædibus etiam Palatium & plurima urbis pars solo sint æquata.* 2. *Quia non statim tempore Apostolorum, sed primum circa Antonini & Commodi Impp. tempora, adeoque circa annum Christi 160. hæc Sibyllarum Carmina antea, quantum sciatur, Christianis ignota, in vulgus efferri, & à scriptoribus ejus ætatis citari cœperint.* 3. *Quia opiniones, post Christum natum demum à Christianis excogitatæ, his libris expressè insertæ deprehendantur: videlicet impios post aliqua secula ex æterno supplicio liberatum iri, quod oraculum lib. 2. horum carminum habeatur; qua fuerit Origenis*

*genis ſententia, ut Auguſt. l. 21. de C. D. c. 17.* habet. Item, *Neronem ſubtractum ſuo tempore revelatum iri, Anti-Chriſtum fore*; (quod in his Carminibus paſſim inculcetur, ubi de Nerone fit mentio) *quæ nonnullorum, ut iterum Auguſt. l. 24. 20.* de C. D. *29. ſcribat, fuerit ex 2. Theſſal. 2. de tum temporis jam operante Myſterio Iniquitatis capta opinio.* Quis non arguat, hæc carmina à quodam Chriſtiano his opinionibus infecto, qui, ut infrà dicetur, *Montanus* fuiſſe præſumitur, eſſe facta atque pacta? Pergit Opſopæus: *Sibyllæ carmina, ut referat Iuſtinus, eſſe inconcinna, obſcura, mutila, ne quidem ab ipsâ intellecta, quia cum furore effuſa; hos autem octo libros Sibyllinos fere perpetuum ordinem ſervare, librum primum, de creatione, de ætatibus, de Noe, de diluvio, fere ut Geneſin; Tertium de Saturno & Titanibus, de Moſe, de lege, de captivitate Babylonicâ; quartum de quatuor Monarchiis; Quintum quindecim Imperatorum hiſtorias contexere; Ergò oracula non eſſe* &c. Sed nec dictionem ipſam, ſive phraſes horum carminum Oracula à Sibyllis edita ſpirare Opſopæus demonſtrare pergit; recitans catalogum vocum, quæ partim *inſolentes* ſint, partim *novæ*, partim è *ſacris literis deſumtæ*, partim *ineptis etymologiis effuſæ*, quas longum eſſet hîc exſcribere; *nedum ut Homerica majeſtas iis inſit, quam Diodorus illis ineſſe ſcripſerit, teſtans, ipſum Homerum plurimos verſus ex Sibyllæ oraculis in ſua opera transtuliſſe; cùm econtrà in his Sibyllinis libris, qui hodie extant, vix ſex vel ſeptem hemiſtichia Homericis ſimilia reperiantur:* Summatim; *carmina eſſe ut plurimum ſibi diſſimilia, dura, coacta, ex Scriptura, Orpheo, Heſiodo, oraculis Apollinis, Phocylidis, & cæteris gnomicis poetis confarcinata.* Ad res ipſas in his Oraculis expreſſas quod attinet, modumque, quo referuntur, iterum demonſtrat Opſopæus ad oculum, *tàm planè & copiosè eas in his libris deſcribi, ut facilè conjicere liceat, illas non prædictas, ſed prius viſas, auditas, aut lectas his ſcriptoribus fuiſſe, hiſtorias, non oracula eſſe*; verbi gratiâ: *Vaticinium Eſaiæ*, Ecce virgo concipiet, & pariet filium, *Sibyllam nominetenus exprimere: Ecce Virgo* Maria *pariet puerum* Jeſum in Bethlehem. *Quis credat Sibyllæ, Apollinis ſacerdoti, myſterium Incarnationis filij Dei clariùs fuiſſe revelatum, quàm prophetæ* Φερομένῳ, inquit porrò, ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἁγίου? *Quis prophetarum Baptiſmum Iohannis in Iordane, apparitionem Spiritus Sancti in Columbæ ſpecie prædixit? nullus: Atqui Sibyllis, ſi credere fas eſt, hæc prædixiſſe, ſicut libro VI. horum Oraculorum ſit videre. Sic Oracula de Chriſto, & de XV. Imperatoribus, quo-*

*zum ſingula nomina & facta ſtatim ab initio libri V. referuntur, meram relationem hiſtoricam de rebus præteritis eſſe; quomodo ergò oracula de rebus futuris? quamvis nomina tantùm capitalibus literis Græcis deſignentur, ut ænigmata potius, quàm hiſtorica relatio eſſe videantur: quæ fraus quandoq; etiam in iis oraculis deprehendatur, quæ futura prædixiſſe videntur, quando autor eorum ex numeris, qui ex nominum literis exurgunt, harioletur; verbi gratia, quando libro VIII. Romam dicit perituram, poſtquam numerum nominis ſui compleverit* &c. Hactenus Opſopæi argumenta, quibus *αὐθεντίαν* horum Oraculorum impugnat.

Opſopæi argumenta reaſſumit *Caſaubonus* Exercit. I. ad Apparatum Annalium *Baronii*, Num. XVIII. fol. 72. 73. 74. Ubi ex claritate horum Oraculorum de naſcituro Chriſto è virgine, de paſſione ipſius & cruce, de regeneratione per Baptiſmum in vitam æternam &c. ita infert: *Ego verò ſuſpicionem meam hoc loco diſſimulare non poſſum. Nam equidem ingenuè profiteor, omnia hujus generis ſive oracula, ſive nuntiata, quò apertiora ſunt, eò fieri mihi ſuſpectiora.* Rationes, quibus Caſaubonus ſe moveri, ut ſic ſentiat, profitetur, compendio proponam. I. inquit, *Verbo Dei contrarium videri, tam profunda myſteria Gentibus, quàm Dei populo peculiariter dilecto, ac ſuamet voce per prophetas erudito, clariùs fuiſſe propoſita, quia ſciamus, quàm exiles ſcintillæ veritatis priſcis temporibus populo Iudaico illuxerint; ut Apoſtolus tempora ante Chriſtum χρόνους ἀγνοίας, tempora ignorantiæ, Actor. 17. v. 30. appellet, & ſæpe repetat, doctrinam de ſalute generis humani ante Chriſti incarnationem fuiſſe myſterium, quod abſconditum à ſeculis & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis ejus,* Coloſſ. *1. v. 26.* confer. Rom. 16. *v.* 25. Ephes. 3. *v.* 9. *Quomodo ergò Sibyllina oracula, quæ Ieſum ſine ambagibus aut ænigmatis, ipſo etiam nomine indicant, facta illius narrant, Ioh. Baptiſtam venturum nuntiant, & præconium illius, quale in Evangelio habetur, commemorant, pro non ſuppoſititiis habeamus? Tàm claram ne lucem gentibus affulſiſſe putemus, cùm adhuc populus ille θεόσπος in tàm denſis tenebris jacebat?* Quod argumentum vel ab ipſo Apoſtolo confirmari videtur, quando Rom. 3. v. 2. ſcribit, quod λόγια Dei Judæis præ cæteris credita fuerint, quibus hæc Goſhen fuit illuſtrata, cum triſtiſſimæ tenebræ reliquo orbi terrarum incumberent. 2. *Se moveri*, inquit porrò Caſaubonus, *ut his oraculis diffidat, quod apud Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, & tot alios è paganis curioſiſſimos omnium*

*nium disciplinarum scrutatores eorum, quæ hodie apud Mercurium & Sibyllas miramur, nullum penitus extat vestigium*; Et 3. *vehementer se etiam moveri, quòd primis Ecclesiæ temporibus quàm plurimi extiterint, qui facinus palmarium judicaverint, cœlestem veritatem figmentis suis ire adjutum, quò facilius nova doctrina à Gentibus sapientibus admitteretur: quæ officiosa mendacia, bono fine excogitata vocaverint; ex quo fonte sexcenti alij libri sint orti, quos illa ætas viderit sub nomine etiam Domini Iesu, & Apostolorum, aliorumque sanctorum publicatos, quorum plurimos Gelasius Papa in Decreto suo, & Romani Concilij enumeret: hoc factum,* inquit Casaub. *vehementer esse reprehendendum, cum admiratione magnâ, quòd Patres ejusmodi scripta* (qualia Sibyllina sint) *tantâ facilitate receperint, & ad fulciendam Cœlestis veritatis auctoritatem testimonia ex illis proferre non dubitaverint; quemadmodum etiam alios constet, libros à Iustino, Clemente Alexandrino, Tertulliano, & aliis Patribus sæpe fuisse laudatos, quos jam nemo, vel mediocriter studiis Theologicis imbutus, Apocryphos fuisse dubitet; Paulum Græcos ad libros Sibyllinos, ut de Filio Dei veritatem inde discerent, rejeciisse, quod Clemens Alexandrinus scribat, Traditionem esse, nullâ fide dignam.* Quod denique de Testimonio *Eusebij* & de acrostichide *Erythræa* adscriptâ, ut & de *Virgilio* addit, mortem & passionem Christi ei non fuisse probè notam, inferiùs libabimus, ubi de utriusque & *Cumæa* & *Erythræa* allatis oraculis sigillatim agemus. In Casauboni sententiam pleno gradu concedit *Boxhornius* in Histor. universali pag. 12. & seqq. statuens, quò apertiora sint hæcoracula, eò magis illos, qui Sibyllis ea tribuunt, falsos deprehendi, cùm pleraque sint ψευδεπίγραφα.

Tandem in authentiâ Oraculis, sub nomine Sibyllarum etiamnum extantibus, ἀπόῤῥητον abjudicandâ omninum rigorosissimus est *Dn. Ioh. Henricus Bæclerus in sua Dissertatione in Bucolicon Virgilij Quartum*, in qua pag. 7. Alberico Gentili, putanti, *non dubitandum, quin Virgilius confecerit versus plures hîc de Sibyllinis versibus*, respondet; *Non possumus* (puta, quod Gentilis innuit) *avidè amplecti, qui* Σιβυλλιακὰ *penitus ignoramus*; quâ assertione in ventos abit horum Oraculorum universa authoritas: Quod enim penitus ignoratur, ejus autoritas & respectus non potest, quoad nos, non pro non ente haberi.

Possent, si hæc non sufficiunt, adhuc aliæ rationes afferri, quibus, si nonnulla, tamen dubia reddi posse videtur horum oraculorum au-

toritas;

toritas : inter quas non negligendum eſt, quòd authentica eorum exemplaria non potuiſſe videntur venire in Chriſtianorum manus arctiſſimam cuſtodiam, quâ Sibyllini libri à Romanis ſecretiſſimè fuerunt habiti, primùm per *Duumviros Sacerdotes*, quorum officium erat, hos libros Romæ in delubro Junonis, quod erat in templo Jovis Capitolini, in cella quadam ſubterranea arcæ lapideæ incluſos cuſtodire, eosque, ſi Senatus conſulto juberentur, adire, & quæ propoſitæ quæſtioni appoſita inveniſſent, Senatui fideliter referre : quibus Duumviris additi fuerunt duo miniſtri publici, qui juxta ſua miniſteria etiam illorum fidem obſervarent, quia absque Senatus conſulto hos libros adire, vel aliis legendos aut deſcribendos concedere tantâ ſeveritate fuit prohibitum, ut Rex *Tarquinius Priſcus M. Aurelium*, Duumvirorum alterum culeo bubulo inſutum, tanquam parricidam, in mare projecerit, quia libros Sibyllinos *Petronio* cuidam contra Sacerdotii fidem deſcribendos dedit, adeoque patriæ ſacra & ſecreta prodidiſſe fuit viſus ; qui Duumviratus poſt exactum *Tarquinium Superbum*, à Conſulibus in Decemviratum, & ſub *L. Cornelio Sylla* Dictatore annis 79. ante Chriſtum in XV Decimviratum, tandemq; in XL viratum, retento tamen *XV virûm* nomine, hac de cauſa excrevit, ut Sacerdotium hoc ad Sibyllinos libros habendos, & cuſtodiendos publicâ autoritate ſanctius certius, & inviolatius redderetur, quemadmodum in Oratione habitâ exemplum cuſtodiæ horum librorum ſub Auguſto, cùm duòbus forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi conderentur, ex Suetonio fuit adductum. Quomodo ergò certa, & indubia exemplaria horum Carminum in Chriſtianorum manus pervenire potuerunt?

Hæc argumenta quemadmodum non ſunt contemnendi roboris ; ita robur illorum incrementum ſumere videtur ab infirmitate ſolutionum, quas aſſertores autoritatis horum carminum tentare ſolent, & imprimis *Eraſmus Schmidius*, olim Profeſſor Wittenbergenſis. Vir, cùm vita maneret, de græcis literis optimè meritus, pro Sibyllis proponit, dum in *Sibyllinis*, Operi poſthumo *Notarum & Animadverſionum in Novum Teſtamentum* annexis, Oratione tertiâ magnâ equidem pietate, utinam tantâ ſoliditate, aliquot argumenta, quæ authentiæ huic opponuntur, ſolvere conatur. Videamus ergò.

Ad argumentum, quod quidam afferunt, *Erythræam oracula ſua græcâ linguâ conſcribere ideò non potuiſſe, quia profiteatur, ſe cum Noah*

in

*in arca diluvij fuisse, cum græca lingua nondum, sed unum labium in universa terra esset, nempe hebræum* &c. ad hoc, inquam, argumentum respondet Schmidius; *Hanc Erythræam fuisse uxorem Iapeti, cum quo post Babylonicam linguarum confusionem in insulas, per quas Europa, & imprimis Græcia intelligatur, commigraverit, quò græcam linguam, quam in confusione Babylonicâ acceperit, ipsa & maritus Iapetus transtulerint; hinc etiam ejus oracula in hac linguâ fuisse scripta*: sed quàm laxè hæc, & quæsitè!

Nam posito, quod ad græcæ linguæ dialectum attinet, rem ita se habere potuisse; an revera se ita habuerit, hoc est, de quo ambigitur, obrationes in mensa solis positas. 1. Quia mera conjectura est, hanc Erythræam Japeti conjugem fuisse: quomodo hoc probabitur? quia nondum probatum est, eam cum Noha in undis diluvii fluctuasse. Nec refert; hoc ipsam Erythræam in suis carminibus profiteri, testari: hæc ipsa enim carmina sunt, quorum veritas & autoritas in dubium vocatur, ut hæc instantia sit manifesta petitio principii. 2. Si fuit Japeti uxor; ergò non *virgo*: atqui Eusebius expressè eam vocat *virginem*: καὶ ταῦτα inquiens, recitatâ acrostichide, τῇ παρθένῳ θλαδὴ θεόθεν ἐπέστη φωνῆξαι. hoc est: ut habet versio; *Et hæc virgo perspicuè vaticinari potuit. Ha enim Phæbades sive Pythia*, scribit Boissardus in Opere Posthumo cap. II. fol. 4. â *principio ex virginibus tantùm eligi erant solitæ, donec una illarum ab Echerato violata est: post hunc incestum sancitum est edicto populorum, ne in posterum ulla Pythia oraculis præficeretur, nisi ætate jam profectâ, ut testatur Palæphatus lib. 1.* Et denuo 3. si cum Noha, tanquam nurus Nohæ in arca fuit, & consequenter *non Ethnica, sed ex familia & ecclesia Nohæ, in qua promissionum de Messia frequens fuit memoria & consideratio, quas etiam posteris suis illa diligentissimè voluit inculcatas, quod eò felicius præstare potuerit, quò rectiùs de iis informata, & simul dono prophetiæ divinitùs instructa fuerit*; ut Dn. Schmidius in orat. d. fol. 1508. scribit, quomodo sexta post diluvium ætate vixisse; imò quomodo Apollinis Sacerdotem, propter dementiam parentum tali cultui traditam, & dedecorosis furiis agitatam fuisse (quæ omnia Eusebius in vita Constantini de ea refert) credamus? Num Nohæ, ejusque procul dubio pientissimæ uxori ullam adscribamus dementiam, quâ filiam furioso & dedecoroso cultui tradere, & ex eâ

Sacerdotem Apollinis, hoc est, Dæmonis facere voluisse putemus? Ut alia plura transeant?

Ad argumentum ex rhapsodia & inconcinnitate Sibillynorum carminum respondet; *Est*, inquiens, fol. 1507. *sanè in carminibus Sibyllinis (ζΦάλματα descriptorum semper excipio) ea Græcismi puritas, ut nulli Poëtarum Græcorum aliquid concedere videatur. Stylus profectò Homericus, Sibyllino ita similis est, ut ne ovum quidem ovo similius esse possit* &c.

Atqui contrarium *Opsopæus* in Notis in hæc carmina passim, ut infrà audiemus, ad oculum demonstravit: quod etiam quilibet Græcam linguam mediocriter doctus ex collatione horum carminum cum Homeri charactere observare potest, ut mirandum sit, hunc insignem, de græcis cumprimis literis meritissimum virum præ facilitate credulitatis in hac Phœbade non vidisse ea styli σφάλματα, quæ non descriptoris negligentia, sed scriptoris ignorantia commisit: Ut dicere quis posset de hac devotione erga hanc Pythiam: *Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.*

Ad argumentum *de nimiâ temporis diuturnitate, ad quam vita Erythræa, si ea cum Noha in arca, ejusque nurus fuisse statuitur, extendenda esset, quia etiam de Ilij excidio & Græcorum victoriâ, imò de ipsius Æneæ adventu in Italiam, & fatalis terræ Inventione oracula tradat, Hectore atque Priamo, Peleo & Achille nominatis, quorum ætatem utiq; attingere non potuit.* Ad hoc argumentum, quod insolubile videtur (hoc enim pacto hæc Erythræa Trojanum excidium attigisset, ac ultra millenarium vixisset, quia diluvium, in cujus undis se profitetur cum Noha in arca fuisse, in annum Mundi 1656. Trojæ a. excidium in annum 2721. incidit) ad hoc, inquam, argumentum hæc *Schmidij* est responsio: *Sibyllæ oraculum non eo sensu esse accipiendum, ac si illa αὐτοπροσώπως Græcis adversus Ilion victoriam, Æneæ contra Italiam promisisset; sed hos eventus in illius oraculis prædictos, à Græcis deinceps ex his ipsis Oraculis collectos fuisse. Non obstare, quod Hector & Priamus, Peleus & Achilles nondum nati, fuerint nominati: Neque enim in Prophetiis infrequens esse, Nomina personarum ante Personas extare, sicut Cyrus sive Coresdiu ante nativitatem fuerit nominatus.*

Sed reſpondemus, ſi obtineri poſſet hæc aſſertio, *in Prophetiis infrequens non eſſe, nomina perſonarum ante perſonas extare*, ſolutio, hæc Schmidiana argumentum objectum elumbe redderet? Sed quando, quod poſtulatur, obtinebitur? Unicum exemplum de Cyro ante nativitatem ab Eſaia nominato non facit regulam, ſicut una hirundo non facit ver: quot urbibus minatus eſt Deus excidium & everſionem, verbi gratia; Ipſis Hieroſolymis, everſoribus tamen, v. g. Nebucadnezare ac Tito Veſpaſiano multo ante tempore nominetenus non expreſſis; exinde argumentum non topicum, ſed neceſſarium eſt, quando argumentamur: *Erythræa in Oraculis de excidio Trojæ Hectorem atque Priamum, Peleum atque Achillem nominetenus exprimit*: Ergò *etiam eorum tempora attigit, & conſequenter cum Noah in area non potuit eſſe.*

Ad argumentum de materia, *Non eſſe veriſimile, extra Eccleſiam Dei eſſe de Chriſto & Anti-Chriſto tam expreſſa vaticinia, qualia huic Erythrææ adſcribuntur*; reſpondet: *Neque hanc Erythræam fuiſſe extra Eccleſiam, conſequenter nec Ethnicam, ſed ex familia Nohæ, & Iapeti conjugem* &c. Sed hoc modò fuit dilutum. Magorum & Bileam exemplum nihil efficit, quod tanquam ſingulare ſolennitatem vaticinandi, qualem oracula tum Erythrææ, tum reliquis Sibyllis his octo libris adſcripta, præ ſe ferunt, nondum arguit.

Tandem argumentum à claritate & perſpicuitate horum oraculorum deſumptum, quod *Caſaubonus* ſuprà potenter ſtrinxit, *Schmidius* in dicta orat. fol. 1508. ita ſolvere tentat: *Tantâ claritate miſeris Gentilibus, qui in tenebris ignorantiæ ſederint, opus fuiſſe. Eluceſcere inde bonitatem Dei, ſeriamque voluntatem, ut omnes ad filium ſuum convertantur. Secus gentes ſcire non potuiſſe, virginem parituram eſſe, niſi tàm clara vaticinia habuiſſent. Eſaianum Oraculum, Ecce Virgo concipiet* &c. *Gentibus ferè ignotum fuiſſe, & vix à Judæis non in dubium vocatum* &c. *ſine his oraculis nec Ovidium ſcripturum fuiſſe de Cæſare Auguſto, quod viſurus ſit prolem ſanctâ de virgine natam* &c. *licet hoc de Tiberio, Liviæ ab Auguſto adoptato filio intellexerit; quod & Virgilius in quarta Eclogâ fecerit. Nec tam clara fuiſſe hæc oracula ante eventum, ut jam ſint per Chriſtum completa, utut circumſtantiæ à Sibyllis fuerint expreſſæ, quas Evangeliſtæ de miraculis, de paſſione & morte Chriſti referunt, Venturum eſſe Regem de Cœlo, qui inter alia miracula quinque millia hominum quinque panibus, & duobus piſcibus ſit ſatiaturus* &c.

Piè hæc videntur ſcribi, ſed cauſæ præſenti parum analogè: fortiùs argumentum à *Caſaubono* eſt adſtrictum, quàm hîc à doctiſſimo *Schmidio* ſolutum. Cur gentes majori claritate revelationis opus habent, quam cives ſanctorum, & domeſtici Dei? Annon naturales tenebræ, de quibus in admirabile lumen Dei vocamur, utrobique ſunt uniusmodi, ſolo revelationis lumine diſſipandæ, diſcutiendæ? Si ex hac majori claritate horum miraculorum erga gentes elucet Dei bonitas, conſequens erit, bonitatem Dei erga populum ſuum in Eccleſia minorem fuiſſe, quàm erat erga gentes extra Eccleſiam: Imò vocationem ad gratiam etiam extra Eccleſiam (extra quàm tamen non eſt ſalus) quàm in Eccleſia clariorem eſſe, quæ quis admittat? Quid enim reſpondebimus Regio Pſalti, bonitatem Dei erga Eccleſiam ob revelationem ſermonis ſoli Eccleſiæ, ſeclusâ omni nationealiâ, prædicanti, quando inquit: *Qui annuntiat verbum ſuum Iacob, Iuſtitias & judicia ſua Iſrael. Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*: Pſalm 147. ℣. 19. 20? Gentes citra Erythrææ oracula ſcire non potuiſſe, Virginem parituram eſſe filium, falſum eſt, quia aditus ad Eccleſiam etiam in V. T. ipſis non fuit occluſus, in qua hoc myſterium, ex Eſaia *αὐτοψεὶ* diſcere potuiſſent, ut conſtat ex aggreſſu proſelytorum ad Eccleſiam, qui frequentiſſimus fuit in V. T. Et eſto, ſciverint hoc ex his oraculis, *Virginem parituram eſſe filium*, quid profuit eis hæc ſcientia, quæ ideò ſalutaris non fuit, qui ſolertiſſimi inter eos, quales fuerunt poetæ, *Ovidius* & *Virgilius*, iſte de *Tiberio*, hic de *Saloninо*, Pollionis filio, id fuerunt interpretati; Meſſiâ ipſis planè manente incognito. Vaticinium, quæ *κατὰ τὸ ῥητὸν* eventum ſine ænigmatis cum omnibus circumſtantiis deſcribunt, ut nihil, niſi quod futura ſunt, ab hiſtoria, quæ factum refert, differant, quemadmodum multa oracula Sibyllina ſe habent, in illis claritatis gradus non habent, ſive futura ſint, ſive completa coram oculis verſentur: quod de vaticiniis prophetarum dici non poteſt, quorum vix ullum clarius eſt, quàm Eſaianum, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*: Quod tamen Erythræa (ſi quidem id Erythrææ eſt) & nomine Deiparæ, & loco nativitatis illuſtrat; *Ecce*, inquiens, *Virgo Maria pariet puerum Ieſum in Bethlehem*. Hactenus de argumentis pro authentia octo librorum Sibyllinorum carminum, ut extant, & Sibyllarum nomine circumferantur.

*Deei-*

## *Decisio quæstionis hactenus in utramque partem disputatæ.*

Quid concluditur ex argumentis hactenus pro & contra reciprocatis? Ergone octo libri, oraculorum, qui Sibyllarum nomine publicati extant, non sunt Sibyllarum, sed Sibyllis suppositi? quod quidem ex disputatione, hactenus ex gravissimis auctoribus, ut & gravissimis rationibus agitata, sequi videtur?

Quò major est autoritas eorum, qui hanc quæstionem affirmant, & pro authentiâ horum librorum in acie stant, ut ea omninò maxima est, quorum nomina Ecclesiæ lumina sunt, ut juxta antiquos Scriptores, *Iustinum Martyrem, Theophilum Antiochenum, Athenagoram, Clementem Alexandrinum, Firmianum Lactantium*, & alios, quos hæc oracula contra gentiles allegasse legimus, etiam sunt nostri & nostrates, *Franzius*, *Iacobus Martini*, *Gerhardus*, *Iacobus Boissardus*, & cujus argumenta modo ventilavimus, *Erasmus Schmidius* (quanti Theologi, quanti Philosophi & Philologi) quò major, inquam, est horum virorum autoritas, eò durius est, & reprehensioni proximius, hanc quæstionem negare, & his libris abjuditare autoritatem authenticam qualiscunq; vel tandem illa sit, quos antiquitas & superior ætas ferè unanimi consensu pro Sibyllinis habuit, iisque θεῖόν τι subesse fuit opinata; à quorum consensu sine rationibus urgentissimis discedere modestum ingenium nefas ducat, ut tacere malit, quàm loqui cum eorum præjudicio. Verùm quid agamus, ubi progressu temporis, quod multa aperit, in propatulo est veritas, & Sol in horizonte nostro verticaliter radiat, magnisque nominibus non tàm ignorantia, quam credulitatis aliquandiu imposuit facilitas, ut supposititios libros pro genuinis habuerint, qui vel tandem pseudepigraphi sunt deprehensi? quemadmodum *Casaubonus* loc. sup. allegato, Apparatus Num. XVIII. fol. 73. plurium adhuc librorum mentionem facit, qui sub nomine etiam *Domini Iesu & Apostolorum, aliorumque Sanctorum* fuerunt publicati, quos Gelasius Papa in suo, & Romani Concilii decreto enumerat, sed ab Ecclesia tandem fuerunt rejecti. Non tamen levis, sed ratione tum temporis nixa fuit Patrum in recipiendis his libris facilitas, quæ tempore opus habuit, donec vel tandem, ut nunc est, veritas fuit manifestata: quod etiam *Casaubonus* vel tandem agnoscit, quando l. c. paginâ versâ subjungit: *Sed tempore opus erat, ut fraus detegeretur.*

Reſtat, ut ambage ſemotâ edifſeramus, quæ nam vel tandem de his libris & oraculis ſit noſtra ſententia. Statuimus ergò, nec omnia, nec nulla in iis extantia oracula, Sibyllis eſſe tribuenda: Non omnia, ob argumenta ſuperius allata, quæ maximæ parti horum librorum ſuppoſitionis larvam detrahunt; Non nulla; quia dubium non eſt, quicquid in his libris genuinè Sibyllarum eſt, tincturam eſſe eorum, quæ ſuppoſititia ſunt, ne figmenta colore careant. Quod nec ipſe *Caſaubonus*, quamvis acris hujus ſuppoſitionis cenſor, negat; *Scio*, inquiens, *Origenem contra Celſum, qui hoc nomine Chriſtianos acriter ſuggillabat, ad vetuſtæ exemplaria provocare, in quibus inveniantur. Neque nos ſanè negamus, multa divinitus potuiſſe dici à paganorum vatibus*, (quod ipſum cum grano ſalis accipiendnm eſt) *non minùs, quàm ab aſina Balaam; Illa tantum rejicimus, quæ arcana religionis noſtræ apertius explicant, quàm factum ſit unquàm à Dei Prophetis.* Quam ipſam, tanquam mediam ſententiam etiam *D. Calovius* in *Syſtem. Locorum* de Sibyllarum autoritate pag. 444. 445. liberali manu dat; *Nec fabuloſa*, inquiens, *omnia, vel conficta de Sibyllis ſtatuentes, nec omnia, quæ ſub Sibyllarum nomine adducuntur, pro veris certisque admittimus*; *cui ſententiæ*, ſtatim ſubjungit, *ut calculum noſtrum adjiciamus, ab iſtâ quidem parte autoritas fide digna, ab hac verò ratio prægnantiſſima ſuadet* &c. In quam eandem ſententiam in ſuo *Zoroaſtre Bactriano* pag. 226. etiam Dn. *Ioh. Henricus Vrſinus*, pleno gradu concedit; quando ſcribit: *Diſſimulare tamen non poſſum, eorum nec* (ſphalma eſt, ut contextus evincit typographi, *nec* pro *me* exſcribentis) *accedere ſententiæ, qui hæc Sibyllina carmina, quæ hodie extant, libris octo comprehenſa, de quibus quæſtio agitatur, maximâ ſui parte ſuppoſititia eſſe cenſuerunt. Certè qui negaverit, pleraque poſt Prophetas, poſt Evangelium, excogitata, verbotim ex ſacris literis delibata; ille idem Solem lucere mero meridiè negare audeat. Tractaverunt hoc argumentum Caſaubonus contra Baronium, & vindex ejus Capellus contra Roſweydem, ut & Opſopæus* &c.

Quia autem *non tàm facile eſt vera invenire, quàm falſa*, ut inquit Cicero, *redarguere*, maximè in iis, quæ ſunt meræ revelationis, & humanâ ope difficulter dignosci poſſunt, operæ pretium eſt in hac diſquiſitione ad ſequentem regulam inconnivis oculis attendere;

Qua-

*Quæcunque oracula sub nomine Sibyllarum ante Christum natum, aut seculo proximè subsecuto à scriptore ethnico, aut non-Christiano allegata inveniuntur, illa indubiè præsumuntur genuinè esse Sibyllina?*

Ratio est, *quia suppositionis Christianorum suspicione carent*: exempli gratia, lib. tertio Oraculorum habetur oraculum, non procul ab initio, de turre Babylonica, quod ita habet:

Ἀλλ' ὁπόταν μεγαλοῖο θεοῦ πλέονται ἀπειλαί,
Ἃς ποθ' ἐπηπείλησε βροτοῖς, οἱ πύργον ἔτευξαν
Χώρῃ ἐν Ἀσσηρίῃ ὁμόφωνοι δ' ἦσαν ἅπαντες,
Καὶ βύθιον' ἀναβῆν' εἰς ἄστρον ἀστερόεντα
Αὐλίκα ἀθάνατος.* *
Πνεύμασιν. αὐτὰρ ἔπειτ' ἄνεμοι μέγαν ὑψόθι πύργον
Ῥίψαν, καὶ θνητοῖσιν ἐπ' ἀλλήλοις ἔριν ὦρσαν,
Τοὔνεκα τὸν Βαβυλῶνα βροτοὶ πόλιν ὄνομ' ἔθεντο.

Hoc est:

*Sed cùm Magni Dei fiebant mina,*
*Quas olim minatus fuit mortalibus, illi turrim ædificarunt.*
*In terra Assyriaca; unius soni verò erant omnes,*
*Et volebant ascendere in cœlum stelliferum,*
*Continnò immortalis**
*Flatibus: Verùm postquàm venti magnam desuper turrim,*
*Projiciebant, & mortalibus invicem lis fuit mota,*
*Propterea Babylonis miseri civitati nomen imposuerunt.*

Hoc oraculum genuinum, non suppositititium esse, ex eo concluditur, quia Josephus l. 1. Antiq. Jud. C. 5. sequentibus verbis hoc allegat: *De turri autem hac, deque linguis hominum mutatis, meminit & Sibylla his verbis: Cum universi homines uno eloquio uterentur, turrim ædificarunt quidem celsissimam, quasi ad cœlum per eam ascensuri. Dij verò procellis immissis turrim subverterunt, & suam cuique linguam dederunt, qua causa fuit, ut urbs ea Babylonis vocabulum acceperit.* Annon, si Sibyllinus

simus textus hiatu mancus non esset, ferè ἀυτολεξεὶ cum allegatione Josephi hoc oraculum consonaret? Quis verò Judæum, qui Josephus erat, aliquid, quod in Christianorum religionis favorem cedit, supposuisse credat?

Hac regulâ observatâ etiam acrostichis, quæ *Erythrææ* ab Eusebio tribuitur, absque dubio pro verè Sibyllinâ habenda esset, si certum esset, esse illam eandem, cujus Cicero mentionem facit libr. II. de divinatione; cujus primis versuum literis aliquid connectebatur, ut in quibusdam Ennianis, quæ Ennius fecit: Tum temporis enim, Christianis nondum extantibus, à Christianis nulla fieri potuit suppositio. Sed de hac acrostichide infrà suo loco ex professo.

Sic etiam si carmen *Cumæa*, quod Virgilius Eccloga IV. imitatus est (quicquid, ut mox audiemus, in contrarium affertur) etiamnum in his Sibyllinis libris ita synopticè extare demonstrari posset, ut modò oraculum de Turri Babel & linguarum confusione à Josepho allegatum demonstravimus in libro tertio horum oraculorum, non procul abinitio extare, planum esset, esse illud per hanc ipsam regulam consequenter genuinè Sibyllinum; quia hoc in passu idem ex *imitatione* sequitur, quod regula nostra ex *allegatione* sequi tradit, ut è vestigio ex Virgilii Eccloga sumus demonstraturi. Et hæc quidem de quæstione, suprà de libris octo Oraculorum, Sibyllis adscriptorum, propositâ sufficiant: Conferri tamen possunt, quæ *Maresius* in Syllog. disput. part. secund. pag. 489. seqq. thesi XXVII. & seqq. de hoc ipso argumento prolixè, & in plerisque solidè disputat, atque thesi XXXIV. & seqq. probabiles rationes & argumenta affert; ea, quæ sub Sibyllarum nomine ψευδεπίγραφα sunt, & circumferuntur, *Montanum* hæresiarcham confinxisse: ad quæ, quia prolixiora, sed & lectu digna sunt, lectorem remittimus.

## *De Ecloga IV. Virgilii.*

### *Utrum Poëta in illa carmen aliquòd Sibyllinum fuerit imitatus?*

(*k p. n. & seqq.*) Historiam de Sibyllâ Cumæâ, quæ novem libros Tarquinio Prisco pro certo pretio obtulit, sex eorum combussit, tres tan-

tandem vendidit, ſcriptores ferè unanimi calamo teſtantur, utut Livius eam non recitet, quod veritati hujus hiſtoriæ nihil demit, quia in hiſtoricis ab autoritate negativè argumentari non licet: quod ipſum de diverſitate circumſtantiarum hiſtoriæ, tum hujus, tum Sibyllarum in genere obſervandum eſt, eam ſubſtantiæ rerum geſtarum negationem non inferre, verbi gratiâ, quod *Lactantius* ex *Varrone* refert, hanc à Cumæâ fatidicorum librorum venditionem factam eſſe regnante *Tarquinio Priſco*, quam Plinius, Gellius, Servius, alii de *Tarquinio Superbo* referunt, qui multis annis poſt *Tarquinium Priſcum* regnavit. Quæſtio principalis, quàm expreſſimus, nunc noſtra Helena ſit; *Vtrum Virgilius in Eclogâ indigitatâ, cujus initium eſt*, Sicelides Muſæ &c. *Sibyllinum quoddam Carmen fuerit imitatus, nec ne?* puta transferendo id, tum ad *Saloninum*, recens natum *Pollionis*, Conſulis Romani, filium, tum ad Cæſarem *Auguſtum* ipſum, certo reſpectu ad utrumque habito. Hanc enim quæſtionem ſi affirmando obtinebimus, inviolabiliter conſequens erit, Sibyllam Cumæam de Chriſto Jeſu naſcituro, regnaturo, populum ſalvaturo, aliquod oraculum protuliſſe: probato enim, Virgilium tale aliquod carmen fuiſſe imitatum, probatum erit, ipſum id legiſſe; ſecus quî illud imitari potuiſſet? probatum ſimul erit, omne abfuiſſe ſuppoſitionis à Chriſtianis factæ periculum, quia Chriſtiani tempore *Auguſti*, quo Poëta floruit, nondum fuere: quod argumentum me movet, ut huic, ſaltem per imitationem à Poëta expreſſo Carmini in aſſerendis Sibyllarum oraculis de Chriſto ferè plus tribuam, quàm reliquis Σιβυλλιακοῖς fere univerſis, ut quidem ea octo libris expreſſa circumferuntur: Et hoc quidem ob duas urgentiſſimas rationes conſequentiæ; tum quia prædicata, quæ Poëta vel *Salonino*, vel *Auguſto* in hac Ecloga per quandam ἀποφάσιν tribuit, in ipſo Cumanæ Oraculo de progenie novâ, cœlo deſcendente, ideò propriè ſunt intelligenda, quia quæ tropicè transferuntur à ſubjecto ad ſubjectum aliud, ex naturâ analogiæ propriam ſignificationem in ſubjecto, à quo fit translatio, neceſſariò præſupponunt; tum quia, ut dixi, *Cumanæ* carmen tum temporis ab omni ſuſpicione ſuppoſitionis de Chriſtianis præſumendæ, fuit immune.

Hic in contrariam ferè ſententiam ire obſervamus *Cl. Dn. Iohannem Henricum Bæclerum*, celeberrimum temporis noſtri Criticum, Virum, de re literariâ meritiſſimum, qui in *Diſſertatione in hoc quartum Bucolicum*

non ita pridem publicatâ, inter alia pag. 7. equidem rectè negare videtur *Virgilium in laudando Cumæo Carmine ad supposititia Sibyllina, ut nunc extant, respexisse*, sententiam tamen suam ita proponit, ut, licet videri possit, quod oraculum aliquod ex Sibyllinis libris, sive fatalibus, qui perierunt, proditum agnoscat, id tamen non, nisi de instauratione magnâ, & instauratore sive regio, sive divino aliquo Romanorum, quod Virgilius sententiis seculo ἡγεμονικῷ, sive aureo describendo usitato extulerit, intelligendum esse putet: addito, *Albericum Gentilem putare, non dubitandum esse, quin Virgilius confecerit versus plures de Sibyllinis versibus; quod ideò avidè amplecti non possit, quia* Σιβυλλιακὰ *penitus ignoremus.* *Imò*, addit porrò, *quid? si Probi explicatio probasit, qui Cumæum carmen pro Hesiodeo accipiat; Hesiodum enim Cumæum esse, juxta Suidam in voce* Ἡσιοδ. *in adolescentia Ascram Bœotiæ translatum, cui sententia Stephani testimonium de Vrbibus congruat, ut Cumæum carmen poeta eodem sensu dixerit, quo alibi Ascræum, neque enim Ascræum magis, quàm Cumæum esse Hesiodum, apud quem doctrinam de successionatatum accuratè descriptam habeamus, unde & Virgilius aliqua in hanc Eclogam eruditâ imitatione transtulerit, sicut annotaverit Fulvius Vrsinus. Nec de cætero ineruditam esse* μεταφρασιν *in græco versu, cùm dicit; Oraculi Cumæi sortem* εἰς τέλος *ad finem venisse: Vltimam enim ætatem Cumæi Carminis non esse illam auream, quam hæc Ecloga celebrat, sed eam, qua antecesserit, & attulerit, seu portenderit instaurationem rerum.* Hactenus verba penè formalia *Dn. Bœcleri.* Expendamus singula breviter, calamo à veneratione Viri minimè alieno.

I. Transeat, Virgilium in laudando *Cumæo Carmine* ad supposititia Sibyllina, ut nunc extant, non respexisse; nec nos respexisse opinamur.

II. Hoc ipsum est, quod nos statuimus, non nisi ex eo, quod de hujus Sibyllæ carminibus perditum est, hanc Eclogam esse desumtam: id autem, ex quo desumta est, non de Christo, sed tantum de fatalibus Romani status agere, in quæstione est, τὸ κεκινόμενον est: Nos argumento, ex analogia Comparatorum desumpto modò contrarium demonstravimus.

III. Annon ἀσύγκριτα sunt; concedere, *hanc Eclogam ex eo carmine Cumæo esse desumptam, quod perditum est*: Et affirmare, *Poetam nullos versus*

*sui,*

*sus de Sibyllinis versibus confeciſſe?* Ratio, qnæ additur, non arguit, quia negatur. Neque enim probari poteſt, *nos Σιβυλλιακὰ penitus ignorare*; Qui enim falſa cum veris tolerat, quod *Opſopæus*, judicioſus in hanc rem inquiſitor, de octo libris horum oraculorum agnoſcit, quando ſcribit: *quia tàm facilè vera invenire, quàm falſa redarguere non licet, falſa cum veris, & mala cùm bonis toleranda eſſe*; is profectò vera penitus ignorare non poteſt: Nec, conceſſo, *nos vera Σιβυλλιακὰ penitus ignorare*, conſequens eſt, Virgilium *nihil Sibyllinum*, verbi gratia, *Cumæum*, in hoc Bucolico imitatum eſſe; quia ſufficit, *Cumæum Carmen* ad imitationem ſui Bucolici Virgilio non incognitum fuiſſe, utut nobis à priori incognitum ſit, dummodò conſtet, ipſum id imitatum fuiſſe.

IV. Affectatè quæſitum eſt, quamvis ſpeciem habens, quod de Heſiodo affertur, illum tàm *Cumæum*, quàm *Aſcræum* fuiſſe, ut proba videatur eſſe *Probi* explicatio, quâ per *Cumæum* carmen *Heſiodeum* ſumatur: negatur hæc explicatio eſſe proba; quia in eo ipſo carmine, in quo Heſiodus de ſucceſſione ætatum agit, nempe in *Operis*, *Aſcræus* inſcribitur, non ſecus, ac Chriſtus, non à loco nativitatis Bethlehemiticus, ſed æducationis Nazaræus vocatur, Matth. 2. ℣. 23. Ut taceamus, in Heſiodo nec volam extare, nec veſtigium ullius inventionis in realibus, quod *de quopiam, ex virgine naſcituro, de cœlo deſcenſuro, longè latoque regnaturo, terras ob ſceleris noſtri veſtigia perpetuâ formidine ſoli uturo*, Virgilio in hoc Bucolico materiam imitationis promere potuiſſet, utut de aureâ ætate aliquid extet, ad quod illa verba, *Et toto ſurget gens aurea Mundo*, alludere videntur. Hinc nec *Boxhornius* in *Hiſt. Vniverſali*, in qua à p. 19. usque ad 25. accuratè de hac Ecloga agit, diſputat, *Cumæum Carmen, quod Virgilius imitatus eſt, Cumæa non eſſe*; hoc ſaltem negans, quod origine Sibyllinum, & non potius Propheticum ſit; quod & nos damus, in hoc ſaltem diſtantes à Boxhornio, quia nos Sibyllam vaticinatam eſſe ſtatuimus inſpiratam à diabolo, qui hæc de Chriſto vaticinia longè acutiùs, quàm Sibyllæ, ex prophetiis concludere potuit; è contra *Boxhornius* putare videtur, Sibyllas hæc ſua de Chriſto oracula tantummodo ex converſatione Judæorum, & ex prophetis habuiſſe.

V. Nodus in ſcirpo eſt, qui in *μεταφράσει* græci verſus quæritur, quo Oraculi Cumæi ſors *εἰς τέλος ad finem* veniſſe dicitur. Quomodo enim probabitur, *ultimam ætatem* in Cumæo carmine non eſſe illam *auream*, quam hæc Ecloga celebrat? quia carmen Cumæum non amplius extat,

ex quo etiam ordo ætatum, quem *Cumana* obſervavit, colligi poſſet: quin omninò probabile eſt, eam ideò per *ultimam ætatem* in carmine ſuo *auream*, quam hæc Ecloga innuit, intellexiſſe, quia vaticinia de regno Chriſti, ex quorum collectione diabolus Sibyllis ſua Oracula inſpiravit, ſub imagine ſeculi ἡγεμονικῦ, eam felicitatem noviſſimorum ſub Meſſiâ temporum promittunt, quæ *plus, quam aurea* eſt, ad innuendam regni Chriſti felicitatem ſpiritualem, conſiſtentis *in juſtitia, pace, & gaudio in Spiritu S.* Rom. 14, 17. ut rem acu non tangat, qui putat, Cumanam eam ætatem intellexiſſe quæ *antecеſſit*, & *attulit*, ſeu *portendit inſtaurationem rerum*.

Stat ergò ſententia, argumentum, quod Sibylla de Chriſti nativitate, paſſione, morte, & regno vaticinata fuerit, vix certius haberi, quàm hanc ipſam Virgilii Eclogam, ob indubitatam, & à ſuſpicione ſuppoſitionis omninò liberam αὐθεντίαν Cumæi carminis, cujus imitationem, & applicationem ad *Saloninum*, *Auguſtum*, & *Auguſti* tempora Poëta apertâ confeſſione profitetur, inquiens,

*Vltima Cumæi venit jam Carminis ætas!*

Utut nihil minus, quàm Chriſtum in animo habuerit, cùm hanc Eclogam ſcriberet, & ad *Saloninum* atque *Auguſtum* Cæſarem applicaret; quemadmodum Cl. Bœclerus Euſebium l. c. rectè corrigit, opinantem, *Poëtam non ignarum myſterii de Chriſto fuiſſe, ac veritate occultatâ verbis ad uſitatam Ethnicorum religionem pertinentibus, uſum eſſe*; quæ ſententia etſi pietati credulitatis Euſebianæ ſit tribuenda, tamen cenſoriam virgulam meritò ſuſtinet.

Porrò valdè operoſus eſt Dn. Bœclerus in maximâ parte ſuæ *Diſſertationis* refutando Euſebii explicationem, quâ tota Ecloga ad Chriſtum applicatur, & κατὰ τὸ ῥητόν de nemine alio, niſi de Chriſto intelligi poſſe demonſtratur; διαῤῥήδην negans, *quòd vel Chriſtus, vel nova aliqua Δοκὴ populi Chriſtiani in ea* ex Virgilii intentione deſcribatur; econtra omnes & ſingulos verſus partim ad *Saloninum*, Pollionis ἀρίζηλον filium, partim ad *Auguſtum Cæſarem*, partim ad *felicem ſtatum* ἡγεμονικὸν ſub Auguſto ex Poëtæ intentione referens; in qua refutatione & demonſtratione iterum calculum ejus interpretationi liberaliter adjicimus; poſthabito Euſebio, qui etiam Virgilio incarnationis myſterium cognitum fuiſſe pientiùs, quàm ſolidiùs ex hoc poëmate collegit: Quod autem in intentione inſpiratoris & revelatoris hujus Carminis, quicunque vel tandem ille fuerit, nec Chriſtus,

nec

nec nova Δοχὴ populi Christiani τὸ σημεῖον προλεγόμενον fuerit, & quod tale quid ex hac Ecloga hoc argumento, quia Virgilius Cumææ Carmen eruditâ ad Saloninum, & ἡγεμονικὸν sub Augusto statum imitatione transtulit, per consequentiam concludi non possit, hoc est, in quo Clar. Bœclerus nos dissentientes habet. Si enim hæc consequentia admitteretur; *Virgilius ea, quæ de novâ progenie è cœlo descensurâ, & ex virgine nasciturâ Cumæa Sibylla prædixit, ad Saloninum, ad Augustum & ἡγεμονικὸν sub Augusto seculum transtulit*: Ergò *Cumæa nihil de Christo, nihil de ejus regno, & novâ Δοχῇ populi Christiani prædixit*; hæc, inquam, consequentia si valeret, quæ non incommoda consequerentur? optandum esset, ut authenticum *Cumæa* Carmen, quod Virgilius, Augusti interioris admissionis cliens, procul dubio ex singulari indultu sibi communicatum habuit, & in hac Ecloga imitatus est, adhuc extaret, ne tantùm de typo ex quasi antitypo, & de corpore ex umbrâ judicium ferendum esset.

Interim habemus consentientem etiam *Maresium* in suprà cit. Syllog. part. secund. pag. 494. thes. XLIII. ubi inquit: *Idem omninò judicium faciendum de illo Sibyllæ Cumanæ vaticinio, quod extat apud Virgilium Ecloga 4. & cujus scribendæ occasionem & materiam aliquam, citra dubium, ex libris Sibyllinis, qui tùm extabant, aut pro talibus venditabantur, ingeniosus Poëta desumsit. Desumtam*, addit, *dico ex libris Sibyllinis, qui tùm extabant.* Item, *Constantinum magnum justo humaniùs de Virgilio*, ac si & is in scribenda hac ex Sibyllino carmine de Messia Ecloga cogitasset, *sensisse*; ac *Sibyllam æstu dæmonis, illa suis nugamentis inseruisse* thesi XLVIII. scribit: allegatis simul planè in nostram sententiam *Ludovico Vive* ad c. 27. l. 10. de C. D. August. & *Vssserio* eruditissimo ex Tom. 1. *Annal. V. T. an. 40.* ante Christum. Et hæc quidem de Ecloga Virgilii.

(*l. pag. 6.*) vide Institutiones nostras Historic. lib. 2. c. 2. in quo quaternarius numerus Monarchiarum ex Dan. c. 2. ℣. 31. & seqq. probatur, & capp. seqq. usque ad finem libri contra *Bodini* plausibiles objectiones defenditur.

(*m. pag. 7.*) Esa. 7. ℣. 14.

(*n. pag. ead.*) Genes. 3. ℣. 15.

(*o. pag. ead.*) 1. Cor. 15. ℣. 47.

(*p. pag. ead.*) Joh. 6. ℣. 38.

(*q. pag. ead.*) Genes. 49. ℣. 10.

(1.pag.7.) *Eusebius* de vita Constantini Imp. lib. V. fol. 227. & seqq.
(3.pag.ead.) Augustinus *Epist. 156. ad Martianum.*

## (1.pag.7.) *De acrostichide, ab Eusebio Sibyllæ Erythrææ adscriptâ, an ea sit authentica, nec ne?*

Fuit authentia *Cumææ Carminis* de Christo; utinam acrostichis, ab Eusebio Erythrææ adscripta, tam extra teli jactum, ac illa, constituta esset, & dubitationis aleâ careret, ut eam carere arbitratus sum, cùm Orationem hanc haberem, & tantùm non intrepidè profiterer, nihil in contrarium suspicandum esse. Cur enim fucum lectori faciam, aliter scriptam, quàm habitam Orationem exhibendo, quem Auditor protinus animadverteret? Cardo quæstionis est; *sit ne hæc Acrostichis Erythrææ genuina, an supposita?* Cur in affirmativam inclinaverim, movit me, ut lector in oratione videt, tùm ratio, tum testium tàm veterum, quàm recentiorum autoritas, quæ & ipsa, imprimis quod ad Eusebium, ratione non contemnendâ nititur. Annon solidum argumentum videtur, quod ex vigilantiâ Romanorum est desumptum, præ quâ vix quicquam potuit in his carminibus admittendis esse non genuinum; quam vigilantiam etiam Onuphrius lib. de Sibyllis ex Lactantio, & aliorum veterum scriptis testatur; *Horum*, inquiens, *librorum custodia IIViris primùm, deinde XViris, postremò XVViris sacris faciundis commissa fuit, eosque ab aliis præter eos aspici, aut legi nefas erat, ut Lactantius tradit: Atque ut paucis verbis multa comprehendam, nihil Romani neque sanctum, neque sacrum, ita custodiebant, quemadmodum hæc Sibyllina divinitùs (ut existimabant) missa oracula; & cùm Dij immortales de rebus adversis consulendi essent, remediumque aliquod malis quærendum, uti de aliquâ intestinâ civilique seditione, vel bello externo, aut pestilentiâ urbem vexante tollendâ, de funestorum exitiabiliumque casuum remediis, ut Cannensis cladis, pacis Caudinæ, de prodigiis expiandis, cæterisque rebus adversis, hos libros quasi ad Oraculum præsentaneumque remedium XVViri sacris faciundis adire solebant, in his omnium malorum remedia inveniri posse existimabant.* Quod ipsum dum Eusebius à Christianis post Christum factum esse testatur, refutans eos, qui hanc acrostichidem νοθεύεσθαι dixerunt, simulque asserens, Ciceronem eam legisse, suisque Commentariis intulisse; quis quæso de ejus authentiâ dubitandi,

tandi, vel suppositionem à Christianis factam suspicandi locus reliquus esse potuit? Num carmen, quod ante Christum natum ex Eusebii testimonio extitit, à Christianis nondum extantibus suppositum esse credamus? accedente etiam Augustini testimonio, qui Eusebio calculum adjicit, & l. 18. de C. D. c. 23. de hac, ipsa acrostichide scribit: *Vir Clarissimus Flaccianus, qui etiam Proconsul fuit, homo facillimæ facundiæ, multaque doctrinæ, cùm de Christo colloqueremur, græcum nobis codicem protulit, carmina esse dicens Sibyllæ Erythrææ* &c. En codicem græcum, in quo hæc acrostichis de Christo extitit, non à plebeo subulcæ, vel suspectæ fidei Christiano, sed à Proconsule Romano, Augustino prolatum & communicatum! Summatim tantæ autoritatis apud veteres Christianos fuit hæc acrostichis, ut ex ejus literis initialibus Ἰησοῦς Χριστὸς θεοῦ υἱὸς Σωτὴρ fecerint nomen Ἰχθὺς, quod *piscem* significat, ut exinde Christianos Baptismo regenitos *Pisciculos*, & Baptisterium *Piscinam* appellaverint, ut *Tertull.* de Baptis. *Optat. Milevit.* l. 2. contr. Donat. testantur. Quid igitur mirum, si non tantùm Papistæ, quibus quicquid antiquitatis veneratione splendet, aurum est, sed etiam orthodoxi nostrarum Ecclesiarum Theologi, *Franzius*, *Gerhardus*, *Martini*, ac reliqui ferè omnes, hanc ipsam de Christo scriptam acrostichidem pro genuino *Erythrææ* fœtu habuerunt, & pro fatidicâ unanimi ferè calamo sunt exosculati? ut qui cum multis, tàm apud veteres, quàm neotericos maximæ autoritatis viris aut errant, aut titubant, non infimum gradum excusationis mereantur, si progressu temporis meliora docti, de assertâ sententiâ aut dubitat, aut cum Penelope sententiæ telam retexuit, quod ipsum quando in remittendâ sententiâ de hujus acrostichidis authentiâ me facere non dissimulo, desultoriæ credulitatis, quod spero, reus non habebor. Suppositititiam a. eam esse, *Opsopæus* in Dissertatione, editioni Parisiensi χρησμῶν præfixâ, ut & in notis in hæc Oracula, argumentis minimè contemnendis demonstrasse videtur. Videamus ergò, ne quod incertum, uti non pro nullo, ita nec pro certo, habeamus. Ita autem habent verba *Opsopæi* pag. 63. 64. in allegatis notis: 1. *Hujus Acrostichidos ab Aldo & Giraldo olim edita nulli veterum, præter Augustinum & Eusebium meminerunt, eandem tamen eruditi censent, quam Cicero viderit, & legerit, ut Colligunt è loco lib. de Divinatione secundi, quem suprà pag. 120. præmisimus, Sed quia de illo Carmine Cicero dubitat, hæc ei Castalio respondet. Quòd dicit Cicero, Sibyllam hominum temporumque de-*

*definitionem callidè sustulisse, non verè dicit. Nam ea ad finem secundi libri apertè dicit, tum venturum esse illum Regem immortalem toti orbi dominaturum, cùm Roma Ægypto imperare cœpisset: id quod accidit paulò post Ciceronem, sub Augusto, quæ religio jam hominum animos occupaverat, cùm de reducendo in Ægyptum Ptolomæo ageretur (ut est in prima Familiarium epistolarum Ciceronis) qui Ptolomæus à Gabinio reductus est*, Et paulò pòst: *Quod autem dicit de Acrostichide Cicero, malè omninò colligit. Quasi verò sit difficiliùs, Deo vates agitanti talia fundere carmina ex tempore, quàm Ennio adhibito & tempore, & diligentiâ.* His à Castalione repositis Opsopœus ita respondet: *Ego verò etsi lubens erudito doctorum virorum consensui subscribo, duo sunt tamen, quæ assensum inhibere possint. Primum, quòd Iustinus Martyr, Theophilus Antiochenus, Athenagoras, Clemens Alex; & Firmianus Lactantius, crebri Sibyllinarum oraculorum laudatores, ne verbo quidem hujus Acrostichidis usquam meminerunt. Ac de prioribus quidem excusatio forsan aliqua afferri posset, de posteriore verò, hoc est, Lactantio quid dicemus, quatuor versus ixibus libri 7. intervallis figillatim adducente, qui in hac Acrostichide perscripti extant? Putemus ne virum diligentissimum, & adhibendis Sibyllæ testimoniis accuratissimum, rem tanti ad Gentilium ora obstruenda momenti silentio fuisse prætersiturum? Imò audacter Acrostichidis seriem inversurum, & auctoritatem ejus temerè elevaturum? Nam qui versus ordine octavus per &c. incipit, ῥίψασιν, apud Lactantium per T. præfixum scribitur τρίψασιν. Deinde dissensio est inter Lactantium & Augustinum, atque Eusebium de auctore istorum versuum. Hi duo Acrostichidem Erythrææ tribuunt, ille versuum, quos citat, auctorem aliam ab Erythræa expressè ponit. Sed & Augustinus ab Eusebio dissidet in Acrostichidis titulo è versuum capitibus proveniente, quòd hic vocem σαωτὸς superaddit, ille omninò non agnoscit, neque in libr. de Civ. Dei, neque in Oratione ad Catechumenos. Ista inquam*, concludit Opsopœus, *me dubitare faciunt: sententiam suam forte interponent alij.* Omnia modestè. Quod dubium ex quæstione, suprà sub litera (*b*) de authentiæ horum oraculorum in genere motâ, vires acquirit, inprimis, si, quæ Casaubonus ex nimiâ vaticinandi claritate eis objicit, cum hac acrostichide, ipsum nomen *Iesu Christi σωτῆρος*, cum ejusdem σωτῆρ exprimente conferamus, ubi audivimus arguentem, & ingenuè profitentem; *Omnia hujus generis oracula, sive enunciata quò apertiora sint, eò sieri sibi suspectiora*; rationibus

496

bus iis ſubjunctis, quæ ab analogiâ charismatis prophetici minimè abhorrent. Hæc cùm ita ſe habeant, fateor, me de hujus Acroſtichidis authentiâ poſt habitam Orationem multò parciùs ſentire, quàm ſenſi, cùm calamus eam conciperet, & memoria ejus propoſitioni coram auditoribus fuit commodata: ut jam per me cuilibet licitum ſit, in eâ vel aſſerendâ, vel de eadem dubitando ingenio abundare ſuo; quod etiam *D. Calovius* in Syſtemate Locor. part. 1. de Sibyllarum autoritate pag. 447. facere videtur, ubi de hac Acroſtichide equidem ſcribit; *Non apparere, intelligi eam, quam Euſebius commemorat; quanquam ea facilius admitti poßit, quàm Sibyllarum de aliquot nominatis Chriſti miraculis, de ſpineâ coronâ, de ſciſſo templi velo medio, de trium horarum tenebris in morte Chriſti adducta carmina, cùm hæc Acroſtichis nihil contineat, quod à Prophetis antea non fuerit prædictum.* Et hæc quidem de Acroſtichide ab Euſebio Erythrææ adſcriptâ

(*Bb. pag. 8.*) Verba Clementis Alexandrini, quem *Mareſius* in Syllogе Diſp. part. ſec. p. 493. thes. XXXIX. *credulitatis nimiæ vitio* laboraſſe ait, quibus libros Sibyllarum ab Apoſtolo Paulo commendatos fuiſſe ſcribit lib. IV. Stromat. ita habent; λάβετε τὰς ἑλληνικὰς βιβλους, ἀνάγνωθε Σίβυλλαν, ὡς ἅπασι ἕνα θεὸν, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθε: *Sumite Græcos codices, legite Sibyllam, quæ unum Deum, & res futuras declarat.* Non autem intempeſtivum eſt *Caſauboni* judicium, quod de hac *Clementis, Iuſtini, Tertulliani*, & aliorum Patrum laudatione, qua Sibyllarum libros æſtimant, in Exercit. contra Baron. Num. XVIII. fol. 73. fert; *Quis ignorat*, inquit, *Iuſtinum, Clementem Alexandrinum, Tertullianum, & alios Patres libros ſæpe laudare, quos jam nemo vel mediocriter ſtudiis Theologicis imbutus dubitat Apocryphos fuiſſe, & quidem notæ aliquando non optimæ, ac proinde jure optimo à Papa Gelaſio, & Concilio Romano poſtea eſſe damnatos? ſed tempore opus erat, ut fraus detegeretur. Refero in hunc cenſum illa oracula Sibyllina, de quibus dixi. Nam quod Clemens Alexandrinus Paulum ipſum inducit Græcos rejicientem ad libros Sibyllinos, & ad Hydaſpis Oracula, ut de filio Dei veritatem inde hauriant, traditio ea eſt, nullâ fide digna*: nedum ut θεῖόν τι, aut κανονικὸν eis adſcribendum eſſe putemus; quin approbemus & ſequamur Auguſtini Conſilium, quod lib. XVIII. de C. D. cap. 47. dat, ubi ſcribit: *Quæcunq; aliorum Prophetiæ de Dei per Chriſtum Ieſum gratia proferuntur, poſſunt putari à Chriſtianis eſſe con-*

 *ficta*

*ficta. Ideò nihil est firmius ad convincendos quoslibet alienos, si de hac re contenderint, nostrosque fulciendos, si rectè sapuerint, quàm ut divina prædicta de Christo proferantur, quæ in Iudæorum scripta sunt codicibus.*

(*Cc. pag. 9.*) Vide *Bellarminum* l. 1. de Christo c. 2. ubi asserit, *Sibyllas multa clariùs prædixisse, quàm ullus prophetarum*; provocans etiam ad ipsum modò ventilatum Clementis testimonium. Atqui hæc ipsa claritas argumento est, ψευδεπίγραφα hæc tàm apertè de Christo vaticinantia carmina esse; quia prudenter credibile non est, hominibus paganis, Apollini, aliisve deasttris servientibus, ante adventum Christi revelatum fuisse mysterium, quòd discipulis ipsis Servatoris nostri, qui tertium jam annum illi operam dederant, institutique ab ipso fuerant, paucis diebus ante Domini mortem erat occultum & ignotum. *Neque tamen nos*, inquit l. c. Casaubonus, *sanè negamus, multa divinitùs potuisse dici à Paganorum vatibus, non minus, quàm ab asina Balaami: illa tantùm rejicimus, quæ arcana religionis nostræ apertiùs explicant, quàm factum sit unquam à Dei Prophetis:* nedum ut præsumamus, ex his carminibus contra Photinianos producere argumenta, qui Scripturæ, imprimis N. Testamenti autoritatem canonicam agnoscunt, & argumenta à nostris Theologis ex ea eludunt; quid non cavillare putemus in iis, quæ ex Sibyllis producuntur, quemadmodum suprà in Oratione *Socinum* ex suo *Anti-Wieko* audivimus, negare ipsam Sibyllarum existentiam, *verisimile esse, narrationes de Sibyllis fabulas esse, & credendum potius videri, eas nunquam extitisse* &c. ut *Bellarminus* hâc operâ demonstrationis de Christo eleganter supersedere potuisset.

(*Dd. pag. 10.*) etiam Cicero l. 2. *de divinat.* hanc Plutarchi Philosophiam ridet, quando hic in libro, *Quare miracula expiraverint*, inter alias rationes etiam hanc assignat; *Vetustate evanuisse vim loci ejus, unde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia incitatâ mente oracula ederet*; quam rationem Cicero lib. cit. ita exibilat: *De vino*, inquiens, *aut salsamento putes loqui, quæ evanescunt vetustate, de vi loci agitur, neque solùm naturali, sed etiam divinâ; quæ quo tandem modo evanuit? Vetustate, inquies. Quæ vetustas est, quæ vim divinam conficere possit? Quid tàm divinum, quàm afflatus ex terra mentem ita movens, ut eam providam rerum futurarum efficiat, ut ea non modò cernat multo antè, sed etiam numero versuque pronunciet? Quando autem ista vis evanuit? An postquam homines minus creduli esse cœperunt?* Cæterum de origine horum oraculo-

culoum nemo meliùs *Iano Iacobo Boissardo* in Tract. posthumo *de divinat.* cap. II. fol. 4. tractat., ubi ita scribit: *Quo tempore Deus inter Israelitas oracula reddebat per suos sanctos Prophetas, Satan operum Dei æmulus & imitator, responsa quoque dabat hominibus in templis & Idolis, quæ jam sibi erigi ubique curaverat, illudebatque miseris mortalibus, eorum mentes miraculis fascinans, ut eos ad suum cultum alliceret. Tunc quoque celeberrimum fuit per totum orbem terrarum Sibyllarum nomen, non solùm quamdiu in hac vita superstites fuerunt, dum oestro dæmonum percitæ, & insano furore ac enthusiasmo extra se raptæ plurima eventura pronuntiabant, sed etiam post obitum scripta quædam reliquerunt, quibus populi adhæserunt, & pro sacris testimoniis voluntatis divinæ habuerunt* &c. De hoc enthusiasmo Proclus ad Porphyrium ita scribit: *Sibylla, quæ Delphis est, Deum in se admittit duobus modis; vel subtilissimo vapore calido, & sicco igneæ naturæ, qui exhalat ex hiatu spelunca: vel sedens in sanctuario, in aheneo tripode sacro Apollini: utroque modo exponit sese inspirationi divinæ, quâ illustratur & occupatur radio ignis divini. Fitq; interdum, ut flamma ingens subito evolans è specu Phœbadem involet & repleat Spiritu divino: Aliquando sedens in tripode sacro, in quo se Deo venienti accommodat, vaticinationi firmæ se componit: Et sive hoc, sive præcedenti modo Pythia Deo tota repletur.* Hinc Ammianus Marcellinus in princ. libri 12. ait; *Sibyllæ crebrò se dicunt ardere, torrente eas vi magnâ flammarum.* Confer eundem Boissardum cap. III. fol. 10. ubi etiam de Diaboli miraculis, quibus honorem Deo debitum ad se derivare laborat, agit, & tandem in hæc verba erumpit: *Divinatio illa, quæ ex Dæmonum revelatione capitur, cùm nullas in naturâ causas habeat, sed superstitione nefariâ erroreq; mentis, & usu tantùm temporum probata colligatur, prorsus est rejicienda.* Adjicit etiam calculum *Hieronym. Iordanus*, Brunswic. Medicus, libro *de eo, quod divinum aut supernaturale est in morbis*, cap. XVII. ubi agit de ecstasi, raptu, prophetia, visionibus, & divinationibus; & pag. 69. inter alia scribit: *Ad ecstasin & divinationem Diabolicam refero Sibyllas pleraſq;, oraculorum Sacerdotes, Lappos, aliosq; vates Septentrionales, & Occidentales Americanos* &c.

(*Ee pag. 10.*) Astipulor hîc *Religioni Medici*, utut non nuspiam suo sensu licentiosè abundantis, cui sect. XXIX. p. 182. 183. monstri simile videtur, hæc omnia, quæ passim de Oraculis referuntur, nondum dubiam

illam de Spiritibus,& Sagis ſententiam expuliſſe: *Qui ſagas*, inquit, *tollunt, tollere etiam Spiritus, nec aliud eſſe quàm indirectè, & conſequenter, non incredulos ſed atheos, putantes*, ut ſubdit Añotator Levin. Nicol. Molkius *pleraq; de ſpectris eſſe commenta, aut hominum impoſturas, ut quidã* Mundus, *Paulinæ ſtuprator apud Ioſephum l. 18. antiquit. Iud. cap. 6. Arnubidem ſe ſimulavit, aut Φάσματα, aliosve naturæ luſus, quas cùm homines ſimplices videant, ſpectra ſe vidiſſe evulgent; quale quid de ſpeculo ærris Rheginorum in freto Siculo, quod in aëre offert theatrum multarum rerum varietate, columnis, ædificiis, beſtiis, hominibus ornatum Athanaſius Kircher l. 10. p. 2. c. 1. de arte lucis & umbræ refert; aut vehementem imaginationem, quæ ſpiritus conturbet; aut pavorem, qui cùm aliquem invaſit, aliquid, quod non ita revera eſt, apparere faciat.* Sed quid verba audiamus, ubi videmus facta? Eſto ſepoſitâ Scripturæ autoritate & revelatione, Spirituum exiſtentiam à priori probari non poſſe, quomodocunque ſuum acumen in tentandâ hac demonſtratione Scholaſtici exerceant; num propterea à poſteriori nulla in medio erit demonſtratio, ut hos, quamvis inviſibiles leones, ex unguibus diſcere non poſſimus? An phantaſma eſt, ſi homines à loco in remotiſſima loca momento temporis per aërem deportantur, quam deportationem *Hieronymus Iordan.* lib. ſupr. citato cap. VIII. ſolidiſſimè demonſtrat; quis eos deportat, ſi à Spiritu non transportantur? exempla ſunt in promptu. Num ex corporis debilitate *delirum minusq; cordatum* dicemus *Brutum*, cùm intentis oculis noctu ad lucernæ lumen emarcentis ſpeciem viri, immani magnitudine, diroque aſpectu horribilem videret, & rogaret, *quisnam eſſet?* Spectrum autem reſponderet, *Tuus, Brute, genius malus; in Philippis me videbis*: Brutus autem forti animo ſubderet: *videbo*? quod ſpectrum deinceps Philippis noctu Bruto ſe denuò ob oculos ſtitit, cũ ille amiſsâ victoriâ poſtero die *αὐτόχειρ* interiret, ut Plutarchus invita Cæſaris ſub finem refert. Exemplorum in hunc ſenſum copiâ fatiſcimus.

(*Ff. pag. 10.*) De admiranda dæmonum in homines poteſtate, ſi Deus eam illis indulget, teſtatur etiam Scriptura pluribus in locis; in Jobo, in obſeſſis, quorum multa exempla Evangelica hiſtoria refert: Et paulò ſuprà ex Boiſſardo c. 2. pag. 4. quædam documenta allegavimus. Imprimis etiam de hoc commate lectu dignus eſt modo laudatus Brunſwicenſis Medicus *Hieronymus Iordanus* per multa capita libri *de eo, quod divinum aut ſupernaturale eſt in morbis corporis*, cap. VIII. *Quid Dæmon poſſit*

in

*in corpus Cap. IX. p. 32. Quid posſit in animam*; ubi simul *de phantasiâ, memoria, intellectu & voluntate, item de prædictionibus.* Imprimis cap. XVII. supra allegato, *de Ecstasi, raptu prophetia, visionibus, divinationibus, & prophetiâ violenter influente* &c. quæ omnia accuratè inibi tractantur, & lectu digniſſima sunt.

*(Gg pag. 10.)* Denuò remittatur lector de discrimine Prophetiæ, divinæ & Ecstaσεως, seu divinatonis diabolicæ ad modò laudatum *Hieronymum Iordanum* cap. XVII. pag. 68. 69.

*(Hh. pag. 10.)* Hunc dæmonum finem in dementandis per oracula hominum animis, & causâ indultus divini *Boissardus* Tract. posthumo cap. III. pag. 10 ita exprimit: *Horum* (puta Dæmonum) *conatus licet ad certos limites redegerit Deus, quos excedere non illis permittitur: tamen propter hominũ ingratitudinem multa illis indulget, ut efficaciùs fallantur, qui Dei verbi fidem & reverentiam præstare recusant.*

*(Ii pag. 10)* Ex his manifestum evadit, hæc, Sibyllis quomodocunque inspirata oracula, quot quot non sunt ψευδεπίγραφα, ex immediatâ, revelatione ortum non traxisse, quia à Diabolo ipsis inspirata fuisse ex hactenus dictis constat, qui tanquam simia divinitatis, & nectendis ex Scripturâ consequentiis argutissimus Spiritus, ea ex Evangelio paradisiaco, ex promissionibus Abrahæ, Isaaco, Jacobo factis, per sacrificia adumbratis, & Prophetis disertim inculcatis, pro sagaciſſimâ suâ ἀγχινοίᾳ colligere, suisque Mystis inspirare, & non ea, quæ Messiæ, sed Mundi, ac status secularis erant, scisitantibus aperire potuit, & ipso facto aperuit; ut non opus sit operosâ & anxia inquisitione, ex quo nam digito Sibyllæ hæc sua vaticinia fuxerint; an ex conversatione cum populo Dei, quemadmodum *Boxhornius* in hac principium Sibyllinæ divinationis pag. 24. 25. 26. & seqq. *Histor. Universal.* constituere videtur, concludendo; *Habuerunt igitur à Iudæis Sibyllæ, quæ de Christo edixisse dicuntur?* Imò, inquam, & concludo ex dictis, habuerunt à Diabolo, qui faciendi consequentias vetus, ea ex Prophetarum Oraculis Sibyllis inspiravit, & eo sine vaticiniis suis, ut ea Herodotus appellat, κυβδήλοις admiscuit, ut etiam falsis, per ea, quæ vera sunt, colorem illineret, & illinendo אֵל אֱמֶת *Deus veritatis*, ex Psal. 31. ℣. 6. esse videretur, qui *Pater mendacij est*, Joh. 8. ℣. 44. Quid enim opus fuisset isto tripodum, & diversorum generum inspirationis, isto ex antris halituum, isto ἀχημόνων ὑμῶν, ut Eu-

ſebii verbo utar, *dedecoroſarum furiarum*, aliarumque ceremoniarum apparatu, ſi hæc oracula tantùm ex famæ, à Sibyllis per Judæos, ut *Boxhornius* opinatur, acceptæ, relatione principium atque originem habuiſſent? Rectè igitur, *Prophetarum ea oracula ſunt, non Sibyllarum*; quod concludit *Boxhornius*; nobis etiam calculum concluſioni adjicientibus: num autem à Judæis ex relatione, an verò à Diabolo ex inſpiratione principaliter hauſerint, hoc eſt, quod quæritur. Nos principaliter à Diabolo hauſta ex dictis colligimus; à Diabolo puta, qui ea ex præſuppoſitâ revelatione, prophetis à Deo factâ, colligere potuit; quanquam traditionem à Judæis acceptam non excludimus, quæ aliquid Sibyllis ad rerum ſcientiam, quæ fatidico deinceps ſpiritu fuit effuſa, conferre potuit, ut *Boiſſardus* in Tractatu poſthumo cap. II. fol. 4. ſcribit. *Non*, inquit, *cùm Ethnicæ eſſent mulieres, & idolis ſervirent, earum tamen aliqua communicaverant cum Hebræis, tàm in Ægypto, quàm in Palæſtina: & ex lectione ſacrarum literarum, familiaribusq; colloquiis cum Iſraelitis toto orbe diſperſis multa didicerant, quæ ad vaticinia pertinebant, & fatidico ſpiritu correptæ (ut Dæmon longâ experientiâ & tempore plurima cognoſſe & conjecturare poteſt) multa pronuntiabant de pœnitentia, de correctione vitæ, de futuro Meſſiâ* &c. Neque enim oppoſita, ſed ſuppoſita ſunt, *aliqualis revelatio, & ſuperveniens dæmonum faſcinatio, atq; in ſuperſtitione confirmatio.* Hoc tantùm in quæſtione reliquum eſt; *quomodo Dæmon in animam hominis, intellectum & voluntatem agere, & præditiones inſpirare poſſit?* Quod *Hieronymus Iordanus lib. cit. de eo, quod divinum aut ſupernaturale eſt in morbis* cap. IX. imprimis pag. 35. 36, 37. & ſeqq. & cap. XVII. pag. 66. 67. 68. & ſeqq. accuratè tractat, dignus, qui legatur; quò lectorem brevitatis causâ remitto. Digniſſima etiam ſunt, ut cum his conferantur, quæ *Mareſius* in ſuprà cit. *Syllog. Diſput. part. ſecund.* pag. 493. & ſeqq. theſ. XL. & ſeqq. ſcitè infert, in quibus noſtræ ſententiæ culculum adjicit.

*(Kk. pag. 11.)* Ferè conſentientem *D. Calovium*, ut ex ſuprà allegatis conſtat, hîc habemus; ubi quidem de Acroſtichide, quam Euſebius Erythrææ adſcribit, *ſitne illa Ciceroni lecta, nec ne?* in negantem partem inclinat, eam tamen faciliùs, quàm reliqua minùs clara, ſub Sibyllarum nomine circumlata oracula, admitti poſſe iudicat, *cùm nihil contineat, quod Prophetis antea prædictum non fuerit*; Syſt. I. c. 3. p. 447.

*(Ll. pag. 11.)* vide Pſalm. 53. ℣. 3.

(*Mm. pag. 11.*) vide Joh. 4. ℣. 25.
(*Nn. pag. 11.*) vide 2. Sam. 23. ℣. 1.
(*Oo. pag. 11.*) vide 2. Sam 7. ℣. 14.

(*Pp. pag. 11.*) Hoc argumentum (dum Erythræa se *Apollinis Sacerdotem* appellat) invictum est, non Numinis, sed Dæmonis instinctu Sibyllas sua oracula fudisse, quia strictissima sunt verba Davidis; *Omnes Dij gentium Dæmonia*, Psalm. 96. ℣. 5. Atqui *Apollo*, cujus Sacerdotem Erythræa se profitetur, *est Gentium Deus*; & quidem spurcissimus Deus; ut ex ejus vitâ à *Boissardo* in Tract. posth. fol. 107. ex autoribus descriptâ, colligitur; Ubi inter alia refert.; fuisse eum raptorem Daphnes Nymphæ, Penei filiæ, ejusque Sororis Cyrenes, quam in Pelio Thessaliæ monte rapuerit &c. Fuisse corrivalem Zephyri in depereundo Hiacyntho adolescente Amyclæo formosissimo; & amatorem Branchi juvenis Thessali, proprii filii, quem ex filia Jaucis & Sucronis susceperit; adeoque stupratorem virginum, δρεσνοκήτην, & cum proprio filio incestuosum &c. Cur ergò non Dæmonium? Hujusne spurcissimi Deastri Pythiam Numinis, non Dæmonis afflatu oracula fudisse, & quod Eusebius asserit, θείας ἐπινοίας ὄντως γενομένην μεστὴν, *divinâ verè inspiratione refertam* dicamus, eique credamus, quando in suis scriptis jactat, quòd de solo summoq; Deo colendo scripsit, sibi dictatum fuisse à Spiritu illius summi & æterni Dei, si maximè nihil eorum, quod sub ejus nomine circumfertur, esset ψευδεπίγραφον, hoc est, ejus nomini falsò adscriptum. Transeant alia argumenta, quibus severum nostrum de his Phœbadibus judicium salvari posset. Lectu etiam digna sunt, quæ *Maresius* in Sylloge Disput. part. secund. p. 488. 489. affert.

(*Qq. pag. 11.*) De supplicio de sagis sumendo loquor hîc ex mente *Friderici Martinij*, Canonum apud Friburgenses Professoris quondam primarii, qui à *D. Thummio* tract. de Sag. Imp. p. 91. citatus, ita concludit; *Lamiæ occidendæ sunt eo solo nomine, quod Deum abnegant, Dæmoni fidelitatem promittunt, idololatriam & apostasiam committunt*, &c. *etiam si hominem nullum veneno necaverint, segetibus & animalibus non nocuerint.* Hujus Rhadamanti judicium si justo rigorosius non esset, staret sententia, quam de Sibyllis, tanquam dæmoniorum Sacerdotibus tuli, quia pares culpæ & delicta, paria merentur supplicia. Verùm quia duæ gravissimæ quæstiones hîc examinandæ se offerunt, quarum prior agit de modo examinis Sagarum, scil. *An modus indagandi illarum facinora per tormen-*

*menta ſit legitimus?* poſterior: *Quo ſupplicij genere afficienda veniant?* certis de cauſis ambarum, imprimis prioris quæſtionis examinationi immorabor: ſit ergò quæſtio prior:

*An modus maleficos & ſagas per tormenta quærendi ſit legitimus, nec ne?*

Quod ad quæſtionem hanc de *Tormentis* vel *Torturâ*, quæ & ipſa in ſpecie *Queſtio* à JCtis appellatur, attinet, removenda ſunt per ἄρσιν τὰ μὴ ζητήματα, quæ eam, niſi accuratè removeantur, odioſiſſimam, ipſiusque judicis conſcientiam ſcrupuloſiſſimam reddere poſſunt. Duplicis autem generis ſunt ea, quæ ad quæſtionis ſtatum non pertinent, referenda partim ad *torquendos*, partim ad *Torturam* ipſam. Quod torquendos concernit, qui ſunt potiſſimum Sagæ, quæ in præſentem quæſtionem veniunt, quarum albo etiam multi, qui maſculini generis ſunt, à Diabolo inſcribuntur, ſciendum eſt, triplicis generis eas eſſe, quas D. *Thummius* in tract. *de Sagarum impietate*, pag. 19. ex *Meiſnero* & *Mõrlino* diſtinguit; quarum aliæ tantùm ſunt *Melancholicæ*, quæ à Diabolo faſcinantur, ut fœdus cum eo contraxiſſe, hæc vel illa feciſſe opinentur, & poſtea fateantur, quæ tamen meræ illuſiones ſunt, nedum, ut fœderis aut actionis alicujus veritas iis ſubeſſe argui poſſit; aliæ Diabolo equidem realiter *fœderatæ*, non tamen maleficæ, damno aliquo vel hominibus, vel jumentis illato, aut facinore patrato, quod ultimo ſupplicio vindicari deberet; aliæ verò & *fœderatæ & maleficæ* ſimul, quæ abnegato Deo, Diabolo ad veneficia ſeſe obligant, & quod ipſi in proximum, cui malè cupiunt, moliri non audent, occultè per Diabolum exequuntur. Hac diſtinctione obſervatâ, à quæſtione abeunt *& primi, & ſecundi generis* Sagæ; *primi generis*, quæ ſunt *melancholicæ*, quas ſi quis fidiculis adjudicandas æſtimat, utique nihil aliud agit, quàm ut *morale* eſſe putet, quod *phyſicum* eſt, violento errore carnificem adhibens, ubi medicus ſubſtitui deberet, qui obſtructiones viſcerum, ex quibus hujusmodi pathemata, quæ Diaboli balnea ſunt, oriuntur, medicamentis huic malo appropriatis, juxta methodum ſuæ artis, aperire novit, in cujus morbi deſcriptione imprimis *Caſparus Marcucius*, in tractatu, cui titulum fecit; *Quadripartitum Melancholicum*, excellit; Item jam multoties allegatus *Hieronymus Iordanus*, quantum ex ejus libro *de eo, quod in morbis eſt ſupernaturale colligitur:* Sic etiam Sagæ *ſecundi generis*, ut ut Diabolo, ſed ſine ſcelere patrato, *confœderatæ*; quarum peccatum, dum ab-

Deo seſe obstringunt, equidem graviſſimum est; *An a. fidiculis per tortorem tentandum, ultimoq; supplicio afficiendum?* graviſſima quæstio est, cujus affirmativam Carpzov. part. I. Crim. quæst. XLIX. n. 23. 26. 27. urgentibus argumentis & autoritatibus obtinere laborat; contrà quàm statuunt Theologi, *qui fœdus hoc sagarum cum Diabolo magis pro interno spirituali, quàm externo politico peccato habent, foro poli, non soli competenter committendo, sanctißimisq; institutis ex verbo Dei corrigendo, ut fœderatæ maligno spiritui à nefario hoc studio abducantur, & excusso Damonis jugo in gremium Ecclesiæ recipiantur.* Argumentum, quo nituntur, & quod à Carpzovio nondum solutum inveni, tale est: *Si peccatum in Spiritum Sanctum, quod gravißimum, & præter apostasiam à Deo cum blasphemiâ doctrinali conjunctum est, ultimo supplicio non punitur, quia internum & spirituale est, sequitur, nec fœdus sagarum cum Diabolo, si absunt maleficia, hanc ipsam ob causam, quia internum & spirituale est, puniendum esse ultimo judicio.* Atqui *prius est verum.* Ergò etiam *verum est posterius.* Hoc argumentum urget *D. Thummius* in tr. de Sagar. impiet. p. 92. 93. allegatis magnorum virorum, *Ioh. Brentij, Ant. Prætorij, Augustini Lerchneri, Fichardi, Godelmanni, Lorent. Kirchovij, Ludovici* Gülnhausen/ *Ioh. Halbritteri, Christoph. Besoldi*, autoritatibus. Quicquid autem sit de secundi generis sagis, sine omni dubio reliquæ manent *sagæ tertij generis*, quæ fœdus cum Diabolo maleficiis incrustant, iis indiciis, ut mox audiemus, gravatæ, quæ ferè infallibilia sunt, ut tantùm non pro convictis sint habendæ. Quod ad ipsam *Torturam* attinet, tot sunt μὴ ζητούμενα, quæ ad quæstionis lineam non pertinent, quot sunt abusus, qui à judicibus improvidis ac inconsultâ affectuum vehementiâ abreptis & perturbatis, adversus reos committi possunt, quos jus & æquitas prohibent, certos monstrando limites atque fines,

*Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.*

Non ergò de *Torturâ tyrannicâ* quæstio est, quam *Wilhelm. Zepperus in Leg. Mosaic. Forens. explicatione* l. v. c. x. pag. 747. refutandam sibi sumsit, quando scribit: *Ethnicum tormentorum horum, & tyrannicum inventum est, omnis charitatis & commiserationis expers:* quam horribilem quæstionis larvam imprimis *D. Ioh. Matth. Meyfart.* in tract. germ. cui titulum fecit, Christliche Erinnerung an gewaltige Regenten &c. per omnia ferè capita & omnes paginas ita exagitat, ac si ex professo tyrannidem approbarent, qui Torturam ad legum præscriptum defendunt, & quidē omnia tàm excessivâ verborum vehementiâ, ut manifestè appareat, clarissimum

quin Theologum in hac ipsâ disputatione aliquâ impotentiâ mentis graviter laborasse. Cap. 9. p. 71. scribit: **Man hat den Außsagen der Bettlen und Lumpen/den Bernheutern und Ehrendieben zu viel getrauet / denen durch Tyrannische Quale außgelockten Bekantnussen zu viel geglaubet / den scharffen und viehtischen Processen zu scharff und viehtisch nach geeilet.** Averruncet Deus tyrannidem ex judicio! quid enim tyrannidi cum justitiâ? *Non enim hominis exercent judices judicium, sed Domini, & quodcunq; judicaverint, in eos redundabit*, 2. Paralip. 19. ℣. 4. Viderint, quid responsuri sint Deo, qui in miseros reos tyrannicè & belluinè sæviunt; quia *judex non ita suo arbitrio utatur, ut tanquam belua sensu & cupiditate ducatur*, Oldekop. *in Observ. Crim.* Tit. IV. num. 10. Menoch. *de arb. Iud. in proœm.* n. 6. Nec 2. quæstio est de Torturâ, ex affectu vitioso judicis exudante, hoc est, de Torturâ decretâ ex zelo secundùm non scientiam; **Auß eynem Mißeyfer**; in quo Zelo detestando *D. Meysartus* in alleg. tract. à cap. 4. ad cap. 9. iterum tàm vehemens est, ut verendum sit, ne ipse hoc ipso morbo, quem tantùm non ferramentis in judicibus curare velle videtur, validè laboraverit. Longum nimis esset, ejus invectivas in judices, affectu vitioso abreptos, referre. *Capitis quarti* argumentum est; **wie hoch die jenige sich versündigen / welche auß unbedachtem und falschem Eyfer in ihrem Ampt verfahren.** *Cap. quinto* refert diversa maledicta peccata, **unterschiedliche verfluchte Sünden / welche die ungerechten Eyferer begehen.** *Caput sextum* est ejusdem argumenti; ut & *caput septimum*, in quo etiam de ore calumniatorio horum Zelotarum agit, **von dem Lästermaul der ungerechten Eyferer.** *Caput octavum* per hierarchias peragrat, & in earum Zelum inquirit, quo à choro, thoro & foro adversus maleficos peccetur. Vehementissimè omnium *caput nonum* in judices ob veneficos invehitur; **wie heutiges Tags in dem weltlichen Stand so gar grausam auß ungerechtem Eyfer in Verfolgung der Zauberey gesündiget werde** &c. Sed quid hic tantus indignationis apparatus ad rhombum? quid ad judicium, quod causas etiam criminales ex officio, modo, & viâ à legibus præscriptâ competenter cognoscit? quippe ad quod etiam quæstio per tormenta pro causæ qualitate & gravitate decernenda pertinet? quid aliud agit hic Theologus, his tot capitibus &

pagi-

paginis, quàm ut cum larvis pugnet, & ea vitia taxet, quæ nos ipsi cordicitùs cum ipso detestamur? quanquam dubitari posse videatur, an ferè uspiam locorum in Imperio judicia inveniantur, in quibus tales judices, quos citius cyclopes, aut bestias, quàm judices quis diceret, tribunalia occupant; quia *judex*, ut Oldekop. *Observ. Crim.* tit. IV. num. 12. scribit, *præsumitur vir bonus, æquus, & prudens, in lenitate potius peccans, & clementiâ, quàm in severitate, ut minus potius, quàm plus torqueat.* Si quisunt, qui suis affectibus indulgent, & arcum intendunt, ut etiam insontes non tuti sint à criminali judicio, viderint, quid Deo, *qui sanguinem eorum requirit, & non oblivisciturclamorem pauperum*, Psal. 9. ℣. 13. aliquando sint responsuri, modò quæstionis statui non immisceatur hæc affectuosa & sanguinolenta iniquitas. Nec 3. de occultis, nullisque indiciis proditis sagarum facinoribus est quæstio; quâ Meyfartus cognitionem per tormenta in dubium vocare laborat, quando tract. allegato cap. 16. pag. 31. 32. arguit; *sagarum peccata esse occulta, ergò & per torturam in ea inquiri non posse, secus punitum iri insontes eum sontibus.* Cap. eod. pag. 133. *esse peccata imperscrutabilia:* **Obrigkeit soll die notorische und bewuste Laster ernstlich straffen: Wo aber ohnerforschliche Stuck vorlauffen/wie kan die Obrigkeit darinn richten / und daher straffen? und von ohnerforschlichen Sachen pfleget die Kirch nicht zu urtheilen / nach dem Sprichwort:** *De occultis non judicat Ecclesia.* Cui judicum hæc absurditas unquam in mentem venit, ut ob planè inscrutabilia & incognita scelera quenquã, etiam ipsum Diabolum si corporaliter torqueri posset, aut fidiculis ligandum, aut equuleo subjiciendum statuerit? Nec 4. de Torturã, quæ susque deque lato indagandæ veritatis studio decernitur, quæritur, sicut *D. Meyfartus* iterum quiritationem, vix de judice, cui adhuc scintillula conscientiæ supereſt, præsumendam ingeminat, quando c. 10. p. 78. 79. scribit: **Der erste Vorsatz der Regenten und** Officianten **gehet nimmermehr dahin/die Warheit zu suchen/und den Handel außzukundigen / sondern Vrsach und Anlaß zu finden / wie die Büttel ein fangen und fesseln / die Hexenmeister urtheilen und verdammen / die Hencker foltern / brennen / und köpffen/ die Regenten pfänden und straffen können** &c. Et c. 15. p. 114. *Quibus volupe est, fundere sanguinem humanum*: **welchen ein kurtzweil ist/ wann man Menschen-Blut vergeußt.** Qui hoc, & non alio

ſine reos tormentis adjudicat, is certò ſciat, ſe juxta illud Philonis Sap. 6. v. 4. *Potentes potenter punientur*, viciſſim tortum iri à juſto Deo per tortorem infernalem; nedum ut tam profligatæ intentionis imperatus equuleus ad quæſtionis circum pertineat &c. De his, aliisquè caſibus Torturæ reorum adhuc multis, cum *D. Kõnig*, quem *M. Waldſchmidius* in *Pythoniſſa Endor.* p. 353. allegat, dicimus: *Negarinon poteſt, quod* (Tortura) *in multis veritatem ſuffocet potius, quàm propalet, nec non innocentes etiam præ nimiâ acerbitate ad eorum confeßionem adigat, quæ ne cogitata quidem, nedum in effectum unquam fuerunt tradu&a. Verum enim verò hæc omnia per accidens eveniunt*; ac ſi vellet inferre; hæc omnia, ſi ad Torturam ex proceſſu criminali omninò eliminandam objiciuntur, manifeſtam *fallaciam Accidentis* peccant, & concludunt nihil. Reliquum igitur eſt, ut ſtatu quæſtionis per ἄρσιν examinato, etiam per θέσιν indicetur, quænam Tortura ad quæſtionem pertineat? Ea nempe, quam providentiſſima jura definiunt, certisque cautelis circumvallant, quibus obſervatis fieri non poteſt, ut torqueatur innocens: *Tortura*, inquam, quæ quidem *eſt inquiſitio ad eruendam veritatem per tormenta*; juxta Carpzov. Pract. Crim. parte III. quæſt. CXVII. ſed, ut noſter Bocerus p. m. tract. nov. de quæſt. & tort. c. 1. n. 3. addit, *legitimè à judice inſtituta*; quâ unâ additione omnia à Tortura præſcinduntur, quæ adverſus miſeros reos à judice peccari poſſunt per accidens: *Tortura*, in qua judices *à novis & inauditis tormentorum generibus abſtineant, & recta rationis moderationem ita faciant, ut delicti, perſonæ, & indiciorum qualitas requirit*; Carpz. l. c. n. 69. Imprimis ſi ad ſeveriorem ejus gradum deveniendum eſt, qui locum non habeat, *niſi in criminibus exceptis & nefandis* (quale etiam eſt veneficium) *indiciis multum urgentibus, & certiſſimis occurrentibus, ut ſola confeßio deficere videatur*; idem l. c. n. 65. *Tortura*, à quâ excepti ſunt *impuberes, furioſi, Melancholici, muti, ſurdi, quandoque etiam cœci, debiles corpore, imprimis nimium ſenes, ſi non robuſti ſunt, aut perſpicaces, valetudinarij, prægnantes, puerperæ, dignitate præcellentes*; Idem l. c. quæſt. CXIIX. per tot. *Tortura* non niſi *in delictis atrocioribus ultimo ſupplicio, vel pœnâ corporis afflictivâ dignis*; Idem quæſt. CXIIX. n. 3. *de quorum corporib. conſtat*, ibid. n. 54. *Tortura*, quæ reo nunquam *abſque indiciis, à judice ſecundum jus & æquitatem accuratè examinatis inferatur*; Idem l. c. quæſt. CXX. n. 1. 2. 3. *cujus actu non niſi remiſſo, reus articulatim, interrogatione brevi examinari, & ſuper qualitatibus facti interrogari debet, ejusque*

*actu*

*actu ab actuario judicij dil genter consignato*; Idem l. c. quæst. CXXIV. n. 26. *etiam circumstantiis delicti, de quibus tortus est confessus, à judice indagatis*, idem n. 26. Summatim, ut alia multa transeant, *Tortura, quæ in ipsius judicis pœnam vertit, si reum illegitimè torqueri faciat*; Idem Carpz. l. c. quæst. CXXVII. n. 1. 2. imprimis *si judex dolosè id fecerit, ac reus inde moriatur, ut mortis supplicium sibi vindicet*; Idem ibid. n. 4. 5. 6. 7. *unde injustè torto actio injuriarum adversus judicem competit*; *actio item utilis legis Aquiliæ*, idem ibid. n. 15. 16. 17. *& quidem actio non tantùm annalis, sed perpetua*, ibid. n. 22. 23. *etiam* præsumtione *juris contra judicem pro reo stante, quòd tortura injustè fuerit decreta*, ibid n. 27. *ob quam causam judex torto emendam præstare tenetur*, ibid n. 35. *damnum item, & operas, quibus imposterum reus est carituras, resarcire*, n. 40. *juxtaque extraordinariè puniri*, ibid. n. 42. 43. &c. De hac, inquam, *Torturâ*, his limitibus juris & æquitatis determinatâ, his conditionibus & requisitis circumvallatâ, à defectibus & vitiis, quæ *D. Meyfartus* in libro citato **der Christlichen Erinnerung** &c. perpetuâ accidentis fallaciâ objicit & ingeminat, undiquaque purgatâ, disertim quæstio est: *An ea legitimus modus sit indaganda veritatis scelerum venesicorum & sagarum? An verò modus tyrannicus?* **Ein Tyrannische Qual**/ ut D Meyfartus instat, l. cit. pag. 71. *imò diabolicus*, **Ein Teuffelische Tortur**/ idem c. 20. p. 159. *quæ Hispanicæ inquisitioni omnia similis*, **so der Spanischen Inquisition gantz ähnlich**/ idem c. 35. p. 259. **Auff welche/ sonderlich im Process wider die Hexen/ gar nichts zuhalten**/ cap. 23. p. 180. & seqq.

Statu igitur quæstionis per ἄρσιν & θέσιν legitimè formato, affirmativam pro Torturâ tuemur; idque non nostris, sed D. König verbis, à *M. Waldschmidio* lib. & loc. suprà citato allegatis, ita scribentis: *Interim salutaris ejus* (torturæ) *potest esse usus, si prudentia judicis interveniat, qui torturam non adhibeat, nisi de crimine, de quo agitur, liqueat, quòd certò sit admissum; nisi competens pœna sit corporis afflictiva; nisi veritas aliunde haberi non possit; nisi advocati in exculpationibus defecerint, & nisi ad eum modum, quem constitutio Carolina observandum ordinem præscribit cap. LX. sic tum etiam clavus rectè tenebitur, & nec in dextrum, nec in sinistrum a viâ regiâ divertetur.*

*Primum argumentum* ſumimus à jure gladii, quo Magiſtratum ordinarium cinctum eſſe legimus c. 13. ℣. 6. in epiſtola Apoſtoli ad Romanos, inquientis: *Non ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malè agit.* Ex quo loco ita pro Torturâ argumentamur: Si magiſtratus ordinarius gladio poteſt, imò debet vindicare cognita delicta ejus, qui malè egit, ſequitur, eum etiam poſſe, imò, ſi neceſſitas requirit, debere delata, certisque indiciis indicata delicta examinare & quærere equuleo. Ratio conſequentiæ duplex eſt in ipſo textu; tum quia gladius & equuleus, aut quodcunque uſitatum torturæ inſtrumentum, in hoc paſſu ſunt ſynonyma; tum quia majus eſt, cognita delicta gladio, hoc eſt, ſi atrocia ſunt, ultimo ſupplicio, laqueo, rotâ aut flammâ vindicare, quàm certis indiciis delata fidiculis aut equuleo examinare, *& neceßitatem vera fatendi*, ut veteres Quæſtionem appellarunt, reis imponere &c.

*Secundum argumentum* ſumimus à Novi Teſtamenti libertate diſponendi in ceremonialibus. Notiſſima eſt, etiam in legibus Moſaicis forenſibus quoad *modum pœnarum & gradus* admiſſa diſtinctio, inter id, quod *Morale*, & id quod *Ceremoniale* eſt, quorum illud, nempe *Morale*, ſemper obligat, *Ceremoniale* autem tantùm in Veteri, non amplius in Teſtam. Novo; verbi gratiâ, in lege de puniendo furto, in qua *Morale* eſt, quòd hoc ſcelus puniri debeat; *Ceremoniale* autẽ, hoc eſt, gradus puniendi, quando determinatâ pœnâ reſtitutionis pro diverſitate circumſtantiarum, modò quintupli, modò dupli, aut etiam venditionis ſui, Exod. 22. ℣. 1. 3. 4. puniebatur; Ibi τὸ *Morale* Magiſtratum ſemper, & adhuc obligat, in eo conſiſtens, ut furtum puniatur; *Ceremoniale* autem, conſiſtens in modo puniendi, Magiſtratui liberum relinquitur, ut pro arbitrio, quod publicæ quieti & ſecuritati conſervandæ conſentaneum eſt, huic ſceleri, ut & aliis facinoribus, pœnas & ſupplicia ſtatuat, ad modum a. pœnæ à Moſe præſcriptum, non amplius aſtrictus: hinc illa judiciorum ſub Novo Teſtamento multifaria, & à polita Moſaica differens varietas; *Quanquam ſi tamen Magiſtratus* (ſunt verba noſtri Hafenrefferi in Loc. Theolog. l. 3. Loc. IV. p. 393.) *aliquas forenſes leges, utpote de pœna furti, adulterij, ſtupri &c. revocare vellet, id non tantùm liberum, ſed maximo cum applauſu bonæ conſcientiæ, quæ iſtâ divinâ ordinatione jucundißimè acquieſcit, conjunctum eſſet.* Si ergò ſecundùm hanc diſtinctionem, inter τὸ *Morale* & *Ceremoniale* Chriſtiano Magiſtratui liberum

fum eſt, id, quod in ſceleribus puniendis ceremoniale eſt, nempe modum puniendi, aut intendere aut remittere; cur non eidem liberum ſit, etiam modum examinandi ſceleratos fidiculis intendere, aut remittere in modum quæſtionis maleficorum, quem Deus in lege Moſaica præſcripſit? argumento iterum à minori ad majus ſumpto.

*Tertium argumentum* ſumimus à neceſſitate quæſtionis per tormenta ob indies invaleſcentem noſtri ſeculi malitiam, quo pro deridiculo haberentur gladius, rogi, rotæ, patibula, ſi expectanda eſſet maleficorum ſine fidiculis confeſſio; à quorum audacia ne ſic quidem tuta eſt humana ſocietas, ut exempla tragica & horrenda teſtantur, quæ tantùm in veneficarum quæſtione in apricum prodeunt, & in exhorreſcendis corporibus delictorum (proh dolor) ob oculos verſantur, ut intuenti ea comæ ſtent præ abominatione eorum, quæ Diabolus per hæc ſua mancipia inter ipſos Chriſtianos patrat & molitur. Quid futurum putemus, ſi remitteretur hæc ſevera in patrata ſcelera inquirendi Nemeſis, & huic duro nodo hic durus cuneus non eſſet quæſitus? Quod argumentum *Antonius Matthæi* de Criminib. lib. XLVIII. Dig. Tit. XVI. de quæſt. c. VI. p. 801. ita proponit: *Nec improbat inſtitutum ſucceſſus, ita enim feliciter per equuleum exprimitur veritas, ut* Cicero *ſcripſerit in Topicis, ipſam veritatem videri dicere, quæ verberibus torti, in igne fatigati dicunt* &c. *Item Veteres quoque quæſtionem neceſſitatem vera fatendi dixiſſe.* Quod utique facinoroſis formi doloſum eſſe, eorumque manus de tabula facinorum dimovere deberet; quod argumentum eò fortius evadit, quò debilius *Matthæi*, qui argumenta contra Torturam validiora eſſe putat, argumentis, quæ pro Torturâ ſtringuntur, illud, ut mox audiemus, ſolvit, aut ſolvere conatur. Graviſſimè omnium hoc argumentum confirmat Megalander noſter Lutherus, tom. 7. Jen. fol. 362. ubi ſcribit: **Vmb ſolcher harter verzweiffelter/ boßhafftiger Leute willen/ die alles auffs Läugnen thun/ da man mit dem liechten Recht nicht kan zu ihnen kommen/ muß man ſolches Noth-Recht** (puta torturam) **und blintzend Recht laſſen gehen/ und geſchehen.** Et mox ibid. **Weil wir müſſen unter den Trebern wohnen/ müſſen wir wogen/ ob uns die Säu freſſen/ wir müſſen uns mit der Welt nieten.**

*Quartum argumentum* ſumimus ab atrocitatate delictorum, quæ malefici & veneficæ deſignant, item à magnitudine damnorum, quæ

hoc

hoc Deo, sed non inferis, exosum genus hominum proximo infert, ut & cruciatibus, cum quibus miserrimè conflictantur, quos malefica eorum manus tetigit, aut saltem halitus, qui veneni diabolici vehiculum est, afflavit: qui affectus Medicorum & Medicinæ ludibrium sunt, ipsam resinam in Galaad pro deridiculo habentes. Hisne Diaboli maneipiis, quorum delictorum corpora in medio sunt, & indicia probationes plusquam semiplenas constituunt, quærendo parcatur, quæ affligendo & cruciando, imò torquendo proximo non parcunt, & permanentia damna inferunt, quæ mortem ipsam superant? *Non parcat ei oculus tuus, neque miserearis*; Deut. 13. ℣. 8. si in puniendo, cur non etiam in quærendo?

*Quintum argumentum* sumimus ex Constitutione Criminali Imp. Caroli V. quæ Torturam publicæ securitatis causa in criminalibus judiciis sceleratis decernendam confirmavit; quæ Constitutio, quia publica, imò Imperatoria est, in universo Imperio Romano recepta, & à JCtis in jure dicundo ipso facto observata, num contra torrentem ibimus, pro Rhadamantis, imò tyrannis aut carnificibus habituri judices, qui facinorosos, & indiciis sufficientibus gravatos quæstioni per fidiculas adjudicant? Absit à nobis tam dura adversus magistratus, cui honor suus debetur, Rom. 13. ℣. 7. præsumtio.

Restat, ut examinemus argumenta in contrarium, quæ à *D. Ioh. Matthæo Meyfarto* tract. suprà allegato germanico, item à *Wilhelmo Zeppero lib. de legum Mosaicarum explicatione*, & *Antonio Matthæi*, JC. de *Crimin.* contra quæst. per tormenta afferuntur: quid ea in recessu habeant, vel habere videantur, sed non habent, dehinc examinabimus, oculo principaliter conjecto in *Zepperum*, qui præ reliquis plausibiliter disputat.

## *Argumenta contra Torturam, cum eorum solutione.*

*Prima Ratio* Zepperi l. V. c. X. de tormentis, desumptā est à defectu fundamenti in Scriptura S. *Primum*, inquit, *in universâ sacrâ Scripturâ ne gry quidem de illis* (torturis) *habetur. Ergò eæ non tàm necessariæ sunt, ut sine illis judicia criminalia exerceri non possint.* Sextum id argumentum est Antonii Matthæi JC: de Crim. de quæst. c. 10. p. 803. ubi inquit; *In plurimis legibus Sacri Codicis nullum quæstionis vestigium reperiri.*

D. Mey-

D. Meyfart. **im Christlichen Bericht** / c. 17. p. 134. paucis, proponit hoc argumentum: **Jetzunder fangen wir an** / scribit, **von der Tortur oder Marter / welche unter dem Volck Gottes niemals erhört / viel weniger gebraucht / aber von den grausamen Tyrannen erfunden worden.** *Respondeo* 1. hoc argumentum statum quæstionis non tangit, à quâ supra fuit semota talis torturæ necessitas, sine quâ judicia criminalia exercere non possunt. 2. Sicut in jure non sequitur; Lex aliqua secundum literam non arguit; ergò nec argumento, hoc est, per consequentiam arguit: ita in Scriptura non sequitur; dictum hoc vel illud *κατὰ τὸ ῥητὸν* non concludit; ergò nec concludit per consequentiam: Sic hic non valet; nulla lex, nullum dictum, cujus litera de torturis agit, in tota Scriptura habetur; ergò ne gry quidem de iis in Scriptura habetur. Argumentum, quod suprâ ex ad Romanos c. 13. ℣. 4. de gladio, Magistratui in ultionem accincto, ad statuminandam torturam deduximus, lectoris judicio committitur, an pro gry habendum sit, nec ne? Annon 3. etiam pro fundamento ex Scriptura ad probandam torturam sufficit, quod τὸ *Morale* Quæstionis in facinora reorum judicibus in Scriptura expressè inculcatur, dum lex Mosaica Deut. 13. ℣. 14. *magnâ*, ut ipse Zepperus p. 756. scribit, *cum emphasi & pondere verborum repetit; Inquiret, investigabit, interrogabit, idq; diligenter*: utut modus inquirendi, investigandi, interrogandi arbitrio Judicis in N. T. legibus Mosaicis abrogatis, sit relictus. Sed & 4. alia adhuc subest ratio, cur hoc in passu à legibus Mosaicis V. T. consequentia ad leges quæstionis in N. T. non tam firma est, ut quidem Zepperus ex argumenti sui fiducia fuit opinatus; quia in V. Testamento ea adminicula confessiones scelerum ex reis exculpendi in promptu erant, quæ in N. Testamento amplius non habentur; cujusmodi erant sortes, quarum exemplum Josuæ 7. ℣. 14. extat, ubi ipsius Dei jussu Achan sorte sacrilegus fuit deprehensus. Nec refert, eas extraordinarias fuisse, ut Calvinus in Jonam de iis scribit, *quòd peculiares instinctus fuerint, ubi servi Dei usi fuerint sorte in rebus dubiis & externis*: hoc ipsum enim est, quod volumus, nempe ab eâ politiâ, in quâ Deus etiam extraordinariis in reos inquirendi mediis usus est, quoad modum inquirendi argumentum ad politiam, in qua extraordinaria inquisitio nulla est, non valere: præterquam quòd etiam ordinaria aliqua in scelera quæstio in ista politia in usu fuit, quæ itidem in politia Christiana deficit, nempè *potio amara*, quâ

bibitâ adulterii reæ *venter* intumuit, Num. 5. ℣. 13. & seqq. Cur ergò crimine mur Christianum Magistratum, ejusve conscientiam turbemus, si publicæ securitatis causâ, secundùm leges, reis gravatis fidiculas adhibet, ut scelera vindicet, quæ cæteroquin cum præsentissimo bonorum periculo sub doloso cinere laterent?

*Secundo arguit Zepperus* p. 747. Hòrum tormentorum inventum esse ethnicum, tyrannicum, omnisque charitatis & commiserationis expers, quæ sontibus etiam, & reis, nedum illis, quos sontes esse non exploratum habemus, suo modo debetur: D. Meyfartus in tract. alleg. p. 166. pro vehementiâ sibi solitâ, torturam Diabolo adscribit, ubi inquit: **Ist die Tortur von dem Teuffel erdacht / und erhöhet / wie kan ein Christ selbige vor ein dienliches / nutzliches / gewisses / und unfehlbares Mittel / die Warheit an das Liecht zu bringen / achten?** &c. Atqui, ut *respondeamus*, quod res est; Annon quod in tortura tyrannicum, imò Diabolicum est, suprà à quæstione per ἄφαιν formatâ fuit abscissum? ergò non valet conclusio, de cepis, quæ ex præmissis de allio infertur. 2. Negamus torturam commiserationis reis debitam esse expertem, quia ex statu formato constat, quàm accuratè jura reis caveant, ne etiam sontes acerbiùs, quàm par est, torqueantur: & sicut lex divina moderationem de cæsione per virgas cædendis adhibere jubet, ne vilesceret frater; Deut. 25. ℣. 2. 31. ita etiam jura reis cavent, ut minus potius, quàm plus torqueantur, & tortus salvus maneat tàm innocentiæ, quàm supplicio; *Oldekop. Obs. Crim. Tit. IV. n. 11.* 3. Argumento Zeperi subest manifesta falsitas hypotheseos, acsi illi, quos sontes esse planè nondum exploratum sit, torturæ censeantur adjudicandi: falsa est, inquam, hæc hypothesis, si tales sontes intelliguntur, qui etiam indiciis culposi non sunt; & quos ita culposos esse exploratum non est; quia non, nisi gravissimis, ac per testes indubitatos probatis indiciis, quæ ipsa culposa sunt, reosque facinorum tantùm non convincunt, gravati eò necessitatis ad confitendum adiguntur: exempli gratiâ; si quis homicidii veneno patrati, accusatur, non protinus fidiculis adjudicetur, ad edisserendum facinus, sed indiciis gravatum esse oportet; 1. ut venenum emerit; aut præparaverit; sic præscribente *Ordinatione Caroli V. art. 57.* aut si emti veneni convictus fuerit: **So der Verdachte wird überwisen / daß er Gifft gekaufft / oder sonst darmit umbgangen;** quod ideò culposum est, quia Pharmacopæis, aliisque, qui venena tra-

ctant,

stant, & venum exponunt, prohibitum est, absque speciali permissione cuiquam venenum vendere; *dict. artic. 37.* &c. 2. Ut reus cum extincto per venenum capitales inimicitias gesserit; aut ex morte aliud commodum, vel concupiscentiæ suæ satisfactionem expectasse probari possit, *dict. artic. 37.* ubi text. ait: **Vnd der Verdampte mit dem Vergifften in Vneinigkeit gewesen / oder aber von seinem Tod Vortheils oder Nutz wartend wäre / oder sonst eine leichtfertige Person / zu der man sich der That versehen möchte.** 3. Ut reus venenum emerit, emptum autem à se coram judicio negaverit, ac nihilominus de hoc convictus fuerit; quod iterum culposum, quia mendacium magistratui dictum, magnum scelus esse putatur, & prius indicium in tantum aggravat, ut dubitandum non sit, quin accusatus sub tormentis interrogari debeat, in *dict. artic. 37. Ord. Carol.* **So einer Gifft kaufft / und deß vor der Obrigkeit in Leugnen stünde / und doch deß Kauffs überwisen würde / auch gnugsame Vrsachen zu fragen / war zu er solch Gifft gebraucht / oder brauchen wollen.** Tantum abest, ut quos sontes esse planè non exploratum habemus, torquendos jura pronuncient, nedum, ut Theologus, ad quem hæc quæstio propriè non spectat, tale quid somniet.

*Tertium argumentum* Zepperi est pag. 748. *Torturas has* Augustinum non tantùm improbare, sed etiam deplorare, ac l. 19. de C. D. c. 6. inter errorem humanorum judiciorum, cùm veritas latet, illas referre, & conqueri; *quòd dum interrogatur quispiam, utrum sit nocens, crucietur, & innocens luat pro in certo scelere certissimas pœnas, vel etiam innocens de alterius peccato torqueatur; cumque judex propterea torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentem, fieri per ignorantia miseriam, ut & tortum, & ignorantem occidat, quem ne ignorantem occideret, torserit*: addito tandem; *Hanc rem intolerabilem, magisque plangendam, rigandamque, si fieri posset, fontibus lacrymarum*, Hunc ipsum Augustini locum etiam *Antonius Matthai* lib. suprà citato *de quæst.* loco argumenti septimi adducit, eumque contra torturam urget; addito etiam Commentario *Ludovici Vivis*, in quo tyranni immanioris inventum tormenta appellat, quando *Locus est apud Rhetores Communis de tormentis, contra tormenta: Fortissima sunt, quæcunq; contra tormenta dicunt, quæ verò pro tormentis, futilia & imbecilla.* Sed in promptu est Responsio 1. Augustini verba ad statum quæstionis non attinent, quippe

quæ loquuntur de torto innocente, qui incerto ſcelere certiſſimas pœnas luit, hoc eſt, de eo, qui indiciis urgentibus nondum eſt gravatus, & tamen quæſtioni per tormenta ſubjicitur, quod juri & æquitati omninò contrarium, adeoque fontibus lacrymarum tum temporis deplorandum fuit, quem rigorem moderna judicia, ut in quæſtionis ſtatu indicavimus, corrigunt: ſubdit tamen Auguſtinus in hoc ipſo capite, & judicem per tormenta quærentem excuſat, inquiendo; *Non hæc facit ſapiens judex nocendi voluntate, ſed neceſſitate neſciendi, & tamen quia cogit humana ſocietas, neceſſitate judicandi.* 2. Ludovici Vivis locus expreſsè de tormentis iis agit, quæ immanioris tyranni inventum ſunt, quæ quanto intervallo à quæſtione noſtra diſtent, ex ejus formatione patet.

*Quartò* argumentatur Zepperus pag. 749. *Multos tortos confeſſos eſſe, ſe admiſiſſe, quod tamen non ab ipſis, ſed ab aliis perpetratum res ipſa ſerò docuerit: è regione tantam eſſe quorundam in perferendis tormentis conſtantiam, vel potius duritiem & obſtinationem, ut etiam exquiſitiſſimis cruciatibus ad confeſſionem impelli non potuerint illorum ſcelerum, quorum tamen reos fuiſſe vel tum conſtiterit, vel veritas, filia temporis poſteà docuerit;* Adducit hoc idem argumentum *Anton. Matthæi* lib. cit. quod ei eſt numero ſecundum, ubi pag. 802. ſcribit: *quòd falſa plerunq; dicendi cauſam præbeant tormenta, ſive durum & robuſtum, ſive infirmum torſeris, Robur enim mendacium facile facit, infirmitas neceſſarium* &c. Dicì vix poteſt, quàm exceſſivè hoc argumentum D. Meyfartus per multa capita & paginas multas exaggeret: ut nimis proſixum foret, ſpumam verborum hue transferre: quod argumentum Megalander noſter Lutherus longè modeſtiùs, longè graviùs ſtringit, quando tom. 7. Jeneſ. Germ. fol. 60. 6. contra Epiſcop. Magdeburgenſen *Albertum* demonſtrat, quod *Ioh. Schenizium* injuſtè torſerit, ubi inter alia ſcribit: **Daß die Marter und Würgen im Kercker ein fahrliche Rechtfertigung iſt / da offt Vnrecht begangen wird/** fol. 361. a. Item: **Wie offt iſts auch mehr geſchehen / daß etwan auch Leut ſind hingerichtet auff ihr Bekantnuß / da man hernach über etliche Jahr erſt bekommen hat die Rechtſchuldigen/ und iſt ihnen gleichwol unrecht geſchehen.** &c. **Wiederumb iſts war / daß etliche Leut ſo ſteiff / veſt / und mehr / denn Eiſenhart ſeind / daß ſie lieber ſich tödt laſſen martern / ob ſie wol ſchuldig ſeind / ehe ſie wollen bekennen.** lb. f. 362. a. Et benè notandum eſt, quòd

Zep-

perus hoc argumentum experientiâ adeò approbatum asserit, ut exemplis, *ex Valer. Maximo* lib. 8. 4. *& Alexandro ab Alex.* l. 1. *genial. dierum cap. ult.* adductis subdiderit: *Cujusmodi exempla etiamnum hodie ignota non possunt esse illis, qui vel tenuem vitæ hujus usum habent*; quod imprimis ex Appendice videre est, quam *Iustus Oldekop Observationibus suis Criminalibus Practicis* appendit, in qua præter aliquot exempla eorum, qui verè rei exquisitissima tormenta contemserunt, & constanter superarunt, adhuc exempla XLII. eorum ex variis autoribus, *Fulgos. Gilhaus. Alexand. ab Alex. Sabell. Iustin. Iul. Car. Valer. Max. Cornel. Tacito*; *imprimis Ioh. Grevio Clivens.* refert, *qui injustè torti, doloribus cedentes, delicta, quæ non patraverant, de se confessi, ultimo supplicio affecti, postea autem innocentes reperti fuerunt.* Sic etiam Lutherus loc. sup. citato fol. 61. b. recenset tria exempla ejusdem argumenti; unum ex Hieronymo de *muliere septies percussa*; alterum ex Augustino; tertium de mercatore Metense, quod circa tempora ejus contigisse videtur, & tàm horrendum est, ut Megalander ejus narrationi hæc verba præmittat, **Aber daß zu Metz geschehen ist / möcht wol Richter und Juristen blöd machen:** hisque verbis concludit: **Es seynd jämmerliche und scheußliche Fälle unter Menschen Kindern / da der Teuffel Lust zu hat** / &c. Ex quibus omnibus constat, hoc argumentum, si in formam redigitur, fere videri indissolubile; quod quidem tale est: *Cuicunq; modo indagandi veritatem scelerum subest tam periculosa fallacitas, ut per eum etiam insontes ultimo supplicio contingat affici, contra scelerum sontes dimitti, ille modus in Criminali judicio est illegitimus:* Atqui *modus per tormenta indagandi veritatem scelerum talis est, cui hæc tam periculosa subest fallacitas:* Ergò *modus indagandi veritatem scelerum per tormenta in judicio criminali est illegitimus.* Utraque Præmissa radiare videtur: *Major* quidem per hanc rationem consequentiæ, quia imprimis in Criminali judicio judex in ferendâ sententiâ mortis extra omnem dubitationis aleam positus esse debet, ut de patrato rei scelere ferè tàm certus sit, ac è regione certus est de innocentia conscientiæ suæ, quia præterea satius est, mille nocentes dimittere, & committere immediato Dei judicio, quàm unum insontem supplicio ultimo adjudicare; *Dominus enim est, qui vitæ & mortis potestatem habet, & deducit ad portas mortis, & reducit; homo autem occidit quidem per malitiam animam, & cum exierit spiritus, non revertetur, nec revocabit animam, quæ recepta est; sed domi-*

*ni manum effugere impoßibile eſt*; Sap. 16. ℣. 14: Et ex Apocalypſi notum eſt, quàm ardenter vindictam ſanguinis ſui apud Deum urgeant animæ eorum, qui injuſtè trucidati ſunt, Apoc. 6. ℣. 10. qua de cauſa teſtes in Criminalibus omni exceptione majores requiruntur, ut rei non niſi convicti aut confeſsi condemnentur, & judicis conſcientia tuta ſit, etiam ſi flammâ in patratum ſcelus, ob atrocitatem animadverti oporteat. Sed nec *Minori propoſitioni* aliquid ad ſui confirmationem deeſſe videtur, ob exemplorum copiam, quibus probatur, multos ex impatientiâ tormentorum confeſſos fuiſſe ſcelera, quorum fuerunt puri, & ultimo ſupplicio affectos, quorum innocentia poſtea in apricum fuit deducta; ut ex mente diſſentientium vix verba pro retinendâ torturâ audiamus, ubi tot facta contra torturam videmus. Libuit hoc argumentum in contrarium eò preſſiùs ſtringere, ne quicquam in quæſtione tàm gravi, qnod utrinque militare videtur, ſtudiosè omittere, & omittendo fucatè agere videremur. Reſtat, ut Achilleum, ſicut videtur, argumentum examinemus, & demonſtremus, non tanti eſſe roboris, quanti eſſe videtur. *Reſpondemus* ergò 1. ad *Majorem* per inſtantiam; Si modus examinandi ſcelera per tormenta ideò illegitimus eſt, quia ei fallacitas ſubeſt, & periculum, quo metuendum, ne inſontes puniantur, ſontes contra dimittantur, conſequens erit, ipſam conſtitutionem divinam indagandi ſcelera per teſtes, eſſe illegitimam, quia etiam huic conſtitutioni ſubeſt hæc fallacitas, & periculum, ne inſontes condemnentur, & puniantur, nempe *ſi teſtes falſi ſunt*, ut fuere contra inſontem Suſannam, & contra inſontem Naboth, *qui erant majores natu, & optimates in civitate*, 2. Reg. 21. ℣. 7. adeoque coram mundo exceptione omni majores, ut jura tali in caſu requirunt. Et ſi hoc non eſſet, cur falſis teſtibus à Deo talionis pœna conſtituta fuiſſet? Dent. 19. ℣. 16. Sed Conſequens eſt falſum, quod ordinationem Dei ob hoc periculum arguit illegitimam; Ergò etiam falſum eſt Antecedens, ceu ruinoſum fundamentum, cui Conſequens fuit ſuperædificatum. Quotacunque enim ſunt, quibus judicium humanum, judices cum teſtibus, & teſtes cum judicibus perverti poſſunt; imprimis amore, odio, timore, & cupiditate: *Amore*, qui rectum judicium impedit; *Odio*, quod judicem reddit ſuſpectum; *Metu*, qui eundem à recto tramite judicandi abducit; *Cupiditate*, puta præmiorum, & munerum, quæ animum judicis facilè corrumpere poſſſunt; ut *Ayrer. Proceſs. Iur. part. 1. c. 6. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6.* ex *Iſi-*

*dore*

*doro l. 3. desum. bon. c. 5. §.* pluribus deducit; quam ob causam solius Dei judicium absolutè infallibile est, qui scrutator cordium est, & αὐτόπτης cogitationum nostrarum, nedum facinorum, quæ etiam in abditissimis angulis patrantur; quod de homine etiam perspicacissimo dici non potest, *qui tantum ea videt, quæ apparent*, 1. Sam. 16. ℣. 7. quæ non apparent, non nisi examine & quæstione, pluribus difficultatibus obnoxiâ videre, & in cognitionem eorum venire potest, sed haud rarò vix venit. Distinguimus ergò 2. (ut directè respondeamus ad argumentum) modum indagandi veritatem scelerum per tormenta; *vel quatenus ad leges, & dispositionem Iuris est restrictus*; vel *quatenus nudo & affectuoso arbitrio judicis relinquitur*; quâ distinctione observatâ limitamus Propositionem Minorem: *Atqui modus per tormenta indagandi veritatem scelerum ad leges & dispositionem juris restrictus est hujusmodi modus, cui hæc tàm periculosa subest fallacitas*; ita limitatam negamus, ob providentissimas Juris cautelas, quibus reis, ne, nisi indiciis gravatissimi, & ferè convicti torqueantur, cavetur, ut judex hac juris dispositione observatâ in hoc criminalis judicii labyrintho in offenso pede conscientiæ progredi, & quâ ipsum via ducit, sine periculo effusionis sanguinis innocentis pergere, gressusque dirigere possit. Sin verò hæc *Minor de modo indagandi veritatem scelerum per tormenta* intelligitur in sensu sequiori, de modo, inquam, qui dispositione juris, & legibus susque deque latis, affectuoso judicis arbitrio relinquitur, liberali manu concessionem negantibus quæstionis tormenta admetimur; hoc autem sensu eam à statu quæstionis tam procul esse dicimus, quàm procul Antipodes Americani absunt ab Europæi orbis habitatoribus, sicut ex quæstionis statu, suprà per ἄφαιν formato est videre. Nec 3. exempla ex *Oldekopio*, *Luthero*, aliis adducta, hanc Minorem sensu à nobis definito negatam probare, facilè appareret, si angustia paginæ pateretur, diligentiùs in singula inquirere, & de eorum circumstantiis constaret. Unicum, à Luthero loc. cit. *tom. 7. Ienens. fol. 360. b. 361. a.* hîc expendamus. Carnifex Metensis irruit tempore nocturno in mercatoris peregrè profecti ædes, trucidat ejus conjugem & liberos, trucidatos in cella sepelit, domum spoliat, & mercatorem reumagit facinoris, eòq; rem deducit, ut mercator quæstioni fuerit subjectus, qui per tormenta infecta facta fatetur; horrendo tandem, tanquam confessus, adjudicatus supplicio; non multò pòst tempore

pore carnifice prodito per Judæum, cui ſpoliatos mercatoris ſcyphos argenteos vendidit. Hunc ne caſum juſtè ſecundum leges, quæ reis, quò minus ſine indiciis torqueantur, favent, favere putemus, in quo tot ſunt præſumtiones & circumſtantiæ pro mercatoris non torquendi innocentiâ, ut mille aſtitiſſent carnifices, & ſontem affirmaſſent mercatorem (loquor exceſſivè) vix tamen tormentis adjudicare judices debuiſſent; cujusmodi præſumptiones procul dubio erat, mercatoris fama & integritas; econtra carnificis levitas; Item mercatorem in propriam coſtam, & viſcera, quæ procul dubio impendio amavit, non ſævìturum, nec propria bona ſibi ſpoliaturum fuiſſe; calidæ item mercatoris lacrymæ, ſingultus, & ſigna cordolii, quæ lapidem ad commiſerationem moverent &c. Et quæ id genus erant innocentiæ indicia, argumenta, & præſumtiones adhuc plures &c. quod multò magis de iis exemplis præſumendum eſt, quæ Oldekop, ex *Valerij Maxim. Cornelij Taciti*, & ſimilibus ſcriptoribus ethnicis allegat, & ex profeſſo tyrannica ſunt, atque à ſtatu quæſtionis per ἄρσιν formato ſequeſtrata.

*Quintum argumentum* Zepperus pag. 749. ita proponit; Ipſæ leges civiles admodum ſuſpectas *haa* habent *quæſtiones, quas hoc etiam nomine fragiles dicunt, parceq; admodum, & cautè circa illas verſandum ſedulo monent. Talia etiam indicia ad Torturam requirunt, ut his poſitis, nullâ amplius videatur quæſtione opus, & à credulitate vix, ac ne vix quidem vindicari poßit, eos, quibis gravati ſunt indiciis, amplius torquere, & geminâ quaſi morte afficere. Nam in l. 1. D. §. 17, de quæſtion. D. Severus reſcribit, confeßiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, ſi nulla probatio religionem cognoſcentis inſtruat. Et in ſeq. §. 23. reſpondet ICtus; Quæſtioni fidem non ſemper, nec tamen nunquam habendam conſtitutionibus declaratur. Et enim res ipſa fragilis tortura, & periculoſa, & quæ veritatem fallat,* & quæ de duritiâ & impatientiâ tormentorum & vario modo confitendi per tormenta ſequuntur &c. tandem l. 1. D. §. & l. ult. *Indicium eſt ex duorum teſtium incorruptorum indicio.* Reſpondemus 1. ſequitur ne; Ipſæ leges Quæſtiones appellant *fragiles*, & monent, *parcè & cautè circa illas verſandum*; Ergò ipſæ leges Quæſtiones admodum ſuſpectas habent? Annon Zepperum ſtringit argumenti inverſio? Ergò eo ipſo, quia cautè & parcè ſecundùm leges verſandum eſt circa quæſtiones per tormenta, hæ quæſtiones, ſecundum leges adhibitæ, ſunt legitimæ? Sibi, non judici reus ſceleris convictus imputet, ſi ne-

negando ea, quorum convictus est, judex per tormenta ex convicto etiam confessum reddit, & confitentem, quàm negantem supplicio ultimo mavult afficere; quod amoris erga justitiam, non crudelitatis adversus reum argumentum est. 3. Allegatæ leges à Zeppero itidem Zepperum refutant; quarum *prima* à Severo rescripta cavet, ne judex sine corpore delicti reo per tormenta confesso fidem habeat: *Secunda*, ne reus sine sufficientibus & legitimis indiciis torqueatur: *Tertia*, ne indicia ipsa sine duorum incorruptorum testium indicio pro sufficientibus ad torturam habeantur; quæ omnia torturam utique ceu legitimam præsupponunt, minimè tollunt, aut suspectam reddunt.

*Sextum argumentum* iterum contra se, non pro se sumit Zepperus pag. 750. ex Constitutione Criminali Caroli V. Imperatoris, quando scribit: *Ita Constitutio etiam Criminalis Caroli V. Imperat. cavet,* **Daß keiner mit peinlicher Plag solle angegriffen werden / es sey dann zuvor rechtlich / und derhalben gnugsame Anzeigung und Vermuthung von wegen derselben Missethat auff ihne glaubwürdig gemacht**; Et quæ sequuntur, legibus à Zeppero modò allegatis planè consona; consequenter aliâ responsione, quàm nunc datâ, non ableganda. Quod verò tandem huic argumento subjungit; *Summa Dd. in universum, variéq; variorum populorum constitutiones, cùm tàm multis, tàm operosa, tàm sollicitè de torturis tractant, quando, circa quas personas, quomodo, & quatenus iis utendum sit, vel minus, adq; prudentiam & discretionem singularem, cum moderatione conjunctam, hic hortantur; quid faciunt aliud, & testantur, quàm non parum se ipsos huic fidere?* Negamus, inquam, hanc illationem, fallaciâ accidentis oppidò gravidam, dum Zepperus populos ipsi quæstioni per tormenta, & non potius judicibus, intempestivo & immoderato justititæ Zelo, per insciticiam rerum criminalium ad quæstionem delabentibus perparum fidere opinatur; secus, qui leges de eâ rectè adhibendâ tradi potuissent, si ipsa non recta esset, & legitima? Nedum ut pro alio, quàm impotentis animi dicterio habeamus, quando hoc argumentum concludit: *Quid ergò*, inquiens, *tandem attinet in re seriâ & arduâ, ubi de capite hominis agitur, vel ludere, vel dubitanter agere, ut magistratus in conscientiæ scrutinio & foro ipse sibi satisfacere, aut securus esse non queat?*

*Septimò* Zepperus pag. 752. & seqq. præprimis solicitus est pro veneficis, conquerens, *quòd in eorum examinationibus & suppliciis hodie passim vehementer peccetur, quia etiam innocentes à Diabolo in synagogis & choreis nocturnis possint repræsentari, & falsò exhibeantur, exemplo Samuelis, qui Sauli, 1. Sam. 28. v. 14. & tempore Hieronymi Sylvani cujusdam, pij viri, qui nobili cuidam fœminæ noctu falsò fuit repræsentatus; Quæ ipsa Synagogæ, commessationes, choreæ, congressus veneri, lycanthropiæ nonnunquam etiam per somnia, aut morbos melancholicos veneficis obversari possint, ut Augustinus l. 18. de C. D. c. 17. & 18. ejus rei exempla adducat; unde fiat, ut earum confessionibus etiam sub Quæstione fides absolutè non sit habenda, nisi à posteriori, hoc est, à damnis realibus & exploratis adhæc priora, ipsam sc confœderationem, Synagogas & coitus ordine retrogrado concludatur: Fieri etiam, ut innocentissimi denunciationibus divinarum in suspiciones veneficiorum traducantur, diffamentur, quibus constitutio Caroli V. num. 21. provide caveat, ne ex his, carceribus mancipentur, quæstionibus subjiciantur, veneficæ a. nihilominus debitis pœnis subdantur: Accedere etiam, ut vulgus, quod veneficas cane pejus & angue oderit, ob metuenda ab iis damna contra eas, quas ex certis rumoribus vel tantillum suspectas habet, tantùm non classicum canat, easq; quæstionibus & rogis objici postulet; qui rumores prudentibus & cordatis magistratibus omninò suspecti esse debeant &c. ita jubentibus legibus divinis & humanis; Exod. 23. v. 1. 2. l. 12. C. de pœnis apud Grat. C. 30. q. 5. C. Incerta.* Feci compendium dictorum Zepperi. Ad quæ respondemus.

*Primò* quod Zepperi querimoniam de innocenter tortis & supplicio punitis concernit, *D. Meyfartus* eam per integrum librum der Christlichen Erinnerung an Gewaltige Regenten &c. vehementissimè amplificat, ita accusando Magistratus, ut vix ausim recitare vocabula, quæ ὡς ὀνοματοποιῶν excogitavit ad accusationem acuendum, cui calculum haud obscurè adjicit *Oldekop* in proœmio *Appendicis exemplorum eorum, qui innocenter torti sint*: quando pag. 417. Observ. Crim. scribit; *Innocentes torqueri, dolori cedere, confiteri, & suppliciis in hunc usque diem affici plurimos, imò ubi rigorosi & Zelosi sunt inquisitores, & supplicia frequentia, plures innocentes, quàm verè criminis reos ad mortem damnari, nunc viginti sex annorum praxi expertus nihil est, cur dubitem. Idq; tum propter eorum, quibus arduum hoc, periculosissimum, fallacissimumq; Torturæ negotium, proh dolor, committi-*

tur,

*eur, intempestivum & immoderatum pratensæ justitiæ Zelum, tum insciciam, rerumq; criminalium crassam, nostræ tempestatis communem ignorantiam, tum avaritiam & negligentiam, tum affectatæ severitatis gloriolam, tum etiam propter superiorum & Magistratuum contemptum, etiam socordiam, longè infra sua dignitatis fastigium ejusmodi curare, & talium rerum rationem habere dicentium, aliasq; causas, quas ipse observationum tractatus sparsim tibi specificè suppeditant.* Contrà ego de Christianis Magistratibus semper melius sensi, & meliora speravi, atque adhuc sentio & spero, eos in hoc gravissimo judicio, de quo itidem gravissima reddenda est ratio judici vivorum & mortuorum, nihil prudentiæ & attentionis, quantum humanâ ope fieri potest, omittere, & ab innocente reorum sanguine sibi tam metuere, quàm sontes sibi metuunt à tortura & supplicio; quod de Amplissimo Magistratu inclytæ Reipublicæ Eslingensis intrepidè ausim affirmare, qui non tantùm eo tempore, quo me usque in vigesimum nonum annum, primùm Diaconum, dein Pastorem Ecclesiæ habuit, in inquisita per tormenta veneficorum flagitia aliquoties flammâ animadvertit, sed etiam hoc ipso anno currente viginti duos, partim veneficos, partim veneficas igne consumsit, ut eos, quibus carceres adhuc oppleti sunt, & quæstionem, expectant, taceamus; quæ si quis intempestivo & immoderato justitiæ Zelo, rerumve criminalium ignorantiæ, aut affectatæ severitatis gloriæ adscribere, aut aliquot horum catharmatum injustè punitum arguere ausit, is ea actorum monumenta, facinorumque documenta expectet, ad quæ, si in rem præsentem ducatur, exhorrescet; nedum ut judici aut prudentiæ, aut conscientiæ dicam scripserit. Quid enim judici seritur aut metitur, si tam funesta instituenda sunt judicia, ad quæ lex divina tanta severitate eum obligat, ut illi satius esset, porcorum esse pastori, quàm populorum Rectori, & horrendis, imprimis veneficarum peccatis affectatâ lenitate, aut meticuloso judicio connivere, quia, prætextu arg. l. 5. ff. de pœnis, quam Antonius Matthæi de quæst. c. v. p. 803. adversus torturam impertinenter allegat, *longè satius sit, vel nocentem absolvi, quàm innocentem torqueri*; quæ lex non de facinorum indiciis, idoneis testibus probatis, sed tantùm de suspicionibus, quæ judicem adhuc in dubio relinquunt, agit, ut expressa verba, *Sed nec de suspicionibus aliquem debere damnari*, habent, nedum ut judicem in examinandis reis timidum reddat, quem animosum esse jubet ipsa Lex divina; *Oculus tuus*

*non misereatur*; Deut.19.℣.13.& Syracides, μὴ ὀλιγοψυχήσῃς ἐν τῷ κρίνειν σε, Syrac.cap.4.℣.9. *Quia*, dicente Leone M. Epist.82.ad Jul.Coëns. Episc. *ad imperialem pertinet potestatem, ut perturbatores Ecclesiæ, pacis & Reipublicæ inimici solicitiùs comprimantur*, adeoque tam nimiæ lenitati, quàm nimiæ sævitiæ modus statuatur; sævitiæ quidem, quia leges judicem vetant legibus esse severiorem, ne quid aut duriùs, aut remissiùs statuatur, quàm causa deposcit; *l.11.in princ. ff. de pœnis*: Lenitati verò, quia leges viciſſim è regione judici prohibent, legibus esse clementiori, *Novell. 82. tit.11. c.10.* Ex quibus constat, quàm severè leges divinæ & humanæ judici veternum ex oculis excutiant, eumque adhortentur, ne in judicio imprimis criminali, securus sit, sed tàm innocentiæ, quàm culpæ reorum accuratissimam rationem, ipsi Deo Cardiognostæ aliquando reddendam, habeat; ut, si qui judices uspiam sint, aut essent, qui tàm profligatâ officii conscientiâ de corio innocentium reorum, ut Meyfartus & Oldekop quiritantur, ludunt, omninò dignos censeamus, quibus à superiori autoritate modus statuatur, & pœnæ dictentur, quas in statu quæstionis suprà formato injustis tortoribus à legibus constitutas esse audivimus, tum, ut innocentibus, ne contrà jus & fas in tam profundam perditionis foveam præcipitentur, caveatur, tum ut Magistratus, qui in abominanda facinora, ad quæ Infernalis Cerberus hoc lemniscato Mundi seculo sua flabella instigat atque impellit, justo Zelo inquirunt, & supplicia juxta leges statuunt, hac dutissimâ, tam conscientiæ, quàm existimationi eorum præjudiciosâ dicâ, quam *Zepperus, Meyfartus & Oldekop.* iis indefinitè scribere videntur, subleventur, & debitè potius, tanquam Zelosi Sacerdotes justitiæ æstimentur, aliisque Magistratibus ad faciendum similia in exemplum proponantur, laudentur. Sed esto: Sint ejusmodi judices, à quibus hæc omnia, quæ Zepperus, Meyfartus, Matthæi, Oldekop. ingeminant, peccantur, qui aut ex immoderato prætensæ justitiæ Zelo, aut ex crassâ rerum criminalium ignorantiâ, aut negligentiâ, aut affectatæ severitatis gloriolâ plures innocentes, quàm verè criminis reos torquent, & ad mortem damnant; quid sequitur? Ergò ne quæstio per tormenta indelata, probatisque indiciis gravata flagitiis, ad quæ infernalis Lavernio sua flabella in perniciem generis humani incitat, est illegitima, & ex judicio criminali eliminanda? Atqui annon hæc omnia in judicio criminali peccari possent, si omitteretur Quæstio? putâ si maximè con-

contingeret, ut judices affectibus dediti, qui suo arbitrio, jure ex oculis dimissô, relicti, gemitus innocentium nihil pensi, Ibycique tultores habent pro deridiculo, in judicio sederent, num ob hæc judicum peccata è Republica Christianâ eliminanda essent criminalia judicia? quemadmodum Zepperus, Meyfartus, Matthæi, Oldekop. viri alioquin de Republica Christiana optimè meriti, his ipsis de causis Quæstionem per tormenta è foro criminali eliminanda esse arguunt? Num infantem effundemus cum balneo, tam crassam Accidentis fallaciam peccando, usumque cum abusu abrogando?

Quæ *Secundò* Zepperus huic suæ quiritationi de innocenter tortis & damnatis subdit, vera sunt, nec nostro calculo contraria. 1. Innocentes posse deferri, quis neget? imprimis si odium consideramus, quo flagrant veneficæ adversus pias & innocentes fœminas, quod accensum est ab inimicitiis à Domino inter Serpentem Antiquum & Semen Mulieris positis: quo in casu Jura providentissima sunt, ne Quæstio præcipitetur, ut videre est ex Consilio, quod Iuridica Universitatis nostræ Facultas patrum nostrorum memoriâ Marchioni Badensi super hoc denunciato casu rescripsit, & à verbo ad verbum in suprà allegato tractatu D. Thummii de sagarum impietate à p. 76. ad p. 90. exscriptum extat. Si enim denunciare & accusare sufficit, quis sub innocentiæ umbone tutus erit? Imprimis ubi deferens ἐγγοδιώκτης est pater mendacii, Johan. cap. 8. ℣. 45. ? Sed 2. nec ipsas confessiones visitationis chorearum, aut transmutationis in bestias, aut commixtionis cum Diabolo statim carceres, & quæstionem per tormenta, si desunt maleficia, mereri, itidem cum Zeppero, ut ex statu Quæstionis, suprà per ἄφιν formato, constat, statuimus, quia hæc corpora delictorum ut plurimum phantastica sunt, & actionis veritate non nituntur. Quamvis enim dubium non sit, à Diabolo per aërem ut plurimum verè ad choreas transportari lamias, non tamen semper hoc fieri, exempla sunt in promptu: vicissim nunquam eas aut in bestias mutari, aut verè commisceri cum Diabolo, ea argumenta sunt in medio, quibus impossibilitas harum actionum per naturam demonstratur, ut cerebrum in calcaneo gestet oporteat, qui eorum vim non agnoscit: Quis autem ob impressiones melancholicas, aut actiones phantasticas per Diaboli fascinationes fucato typo rei gestæ signatas, quenquam mortalium aut torquendum, aut ul-

timo judicio adjudicandum, si desunt maleficia, affirmet, ut maximè eorum confessiones habeantur? quia corpora delictorum, quòd vera sint, & substantiâ facti non careant, luce meridianâ clariora esse oportet, ne in tantâ severitate processus judex cum larvis pugnet, nubemque pro Junone amplectatur, & rogum incendat, ligno deficiente. Lubet experientiam allegare, nixam conscientiâ officii, Annus jam decimus circiter sextus currit, cùm Eslingæ vinitoris cujusdam conjux sponte fateretur, se, dum ex sylvâ domum regrederetur, à viro quodam, qui venatorem repræsentaverit, compressam fuisse in loco quodam nominato, cujus alterum pedem post actum observaverit non justum fuisse, tanto dehinc adversus maritum odio inflammata, ut parum abfuerit, quin eum cultro tranfodisset: Orationem præterea Dominicam orare amplius aut noluit, aut non potuit, etiam præeuntibus orando collegis, & me vel tandem illam, ut oraret, adhortato; tandem sub spondam in cubiculo tàm arctè sese abscondiderat, ut vix amplius prorepserit; torvum videbant oculi, funesta erant omnia. Quid inclytæ Reipublicæ Magistratus? carceri ne miseram inclusit, Torturæ subjecit, & damnavit ad supplicium? Minimè verò; quin consilio à Juridicâ Facultate Universitatis nostræ, quæ pro melancholicâ eam habuit, accepto, Ministerio Ecclesiastico informandam reliquit, donec ad pristinum mentis statum rediit, iis signis pœnitentiæ datis, quibus diffidere charitas prohibuit. Exemplum aliud: Deizisoviæ (pagus is ditionis Eslingensis est) circa ea ipsa tempora erat fœmina, quam adhuc superstitem esse inaudio, quæ mihi fassa, imò conquesta fuit, quòd sibi tàm importunus esset Diabolus, ut nusquam ab eo missa fieri potuerit; comitari, inquiebat, se nebulonem, si in templum ingrediatur, comitari, si templo egrediatur, etiam si in rus eat, & tàm clarè secum loqui, ut miraretur, quòd alii, qui juxta se essent, id non audirent: quæsitæ, num fidem ei spoponderit? & neganti, dedi consilium, ut imprimis sibi familiarem redderet cautionem, Gott der Vatter wohn uns bey/ und laß uns nicht verderben; Item petitionem sextam Orationis Dominicæ; *Et ne nos inducas in tentationem*; quæsivi ex ea ulterius; Utrum justo tempore fluerent, quæ mulieribus menstrua sunt; (nam ex oculorum torvitate, aliisque signis auguratus sum hujus rheumatis obstructionem, & ex obstructione hæc pathemata ipsa: erat enim fœmina inter 30. & 40. annos media, plethoricæ insuper constitutionis) cùmque responderet, du-

dudum emanſiſſe omnia, ablegavi eam ad Medicum, monuique, ut ejus conſilio obſequeretur, addito ſolatio, omnia in melius verſura; quod evertus, ſolatio reſpondens, docuit; dum ſectis ex conſilio Medici venis, & apertâ per medicamenta naturæ viâ, & corporis & mentis valetudini feliciter fuit reſtituta. Lippis præterea, & tonſoribus notus eſt caſus, qui ibidem, in Eccleſiâ tum meâ, anno 1642. notoriè contigit, cùm Diabolus juvenem quendam vinitorem ſibi chirographo, ſanguine ejus ſcripto, obligatum adigere vellet, *ut omnia, quæ poſſet, perderet*, ſed patrare id renuentem ad deſperationem adigeret, ut baltheo collum ſuum conſtrinxerit, & conſtrictum appenderit clavo; quam tragœdiam uxor ejus ſuperveniens extemporaneâ nexus inciſione impedivit, & maritum hunc ſuum, vitæ vix amplius manifeſtum, ex mortis faucibus eripuit; qui ob id quæſtioni per tormenta non fuit ſubjectus, ſed inquiſitione accuratè prius inſtitutâ, Miniſterio Eccleſiaſtico relictus, cujus ille curâ, cum itidem Orationem Dominicam, imprimis ſextam petitionem amplius orare non poſſet, per Dei gratiam feliciter reſtitutus fuit, & adhuc vitam innocentem agit, lacrymiſque effuſis Miniſterio gratias habuit, & adhuc habet. Integer caſus extat *in Caſual. meis Conc. Sect. 1. à pag. 3. usque ad 116.* equidem à Jeſuitis Dilling. pasquillo tradactus, ſed quos apologiâ meâ ita excepi, ut cachinni eorum ferè in furorem verterint.

Imò 3. quod ad famam attinet, etiam hîc Zepperi & Meyfarti ſententiæ aſſurgimus, ſoliſque dicacitati ejus fidem ad quæſtionem per tormenta tribuendam eſſe non ſentimus. Quamvis enim non nihil ſit, quod jura famæ in civilibus tribuunt, adeò, ut aliquot caſus ſint, in quibus plenam probationem inducere ſtatuitur, quos *D. Ioan. Crotus tract. de teſtibus pag. 486. num. 43. 44. 45. 46.* recenſet: etiam in cauſa criminali, ſi crimen probatum eſt plus quàm ſemiplenè, puta per unum teſtem de veritate, & aliquod aliud indicium, quo caſu probationem perficit, ut crimen plenè probatum dicatur; ibid. num. 54. ſola tamen ſufficiens indicium ad torturam non facit; ibid. num. 51. quippe quæ tàm falſi eſt dicax, quam nuncia veri, malumque eſt,

*- - - quo non aliud velocius ullum,*
*Mobilitate vigens, vires acquirit eundo;*

nedum ut judex ejus dictamine ſtare poſſit, ſi rei per tormenta quærendi veniunt, & finis quæſtionis eſt, animadverſio in patrata ſcelera per ſuppli-

cia,

cia. Quid autem hæc ad conclusionem contra torturam, si cætera juxta leges sunt paria? Si corpora delictorum sunt præ oculis, damna per veneficia illata, quæ naturæ opem habent pro ludibrio, & ob cruciatus intolerabiles graviora sunt morte ipsâ, flagitia item veneficium concomitantia, Sodomia, muta peccata, incestus, actusq; exerciti tàm abominandi, ad quos Acherontis furcifer hæc sua instrumenta impellit, ad quorum atrocitatem cœlum exhorrescat, & obstupescant elementa? Quid, inquam, si diabolica hæc stabula nequitiæ eò atrocitatis facinorum progrediuntur, & Judici ordinario deferuntur, delata indiciis idoneè probatis gravantur, gravata minimum semiplenâ probatione in apricum ducuntur, & educta, per confrontationem complicum confunduntur? Quid, inquam, si in hanc Rhodum deventum est, judex tum aliud agat, quàm ut juxta leges quærendo saltet, & præfractè negantibus necessitatem edisserendæ veritatis per tormenta providè adhibeat, eventumque quæstionis patienter expectet, confessa flagitia juxta leges puniat; non confessa judici vivorum & mortuorum committat; reo gravato equidem ab instantiâ, non tamen à crimine absoluto; secus quò delapsura esset Cacodæmonis adversus genus humanum violenta perversitas, si necessitate quæstionis posthabitâ expectare vellemus famulitii ejus confessiones spontaneas, quæ calendis græcis judici citius non sunt expectandæ, non tantùm propter horum catharmatum malitiam, sed & propter metuendum supplicium, quo in casu Domini suæ vitæ non sunt, ut quasi Scævolæ suum corpus flammâ ustulandum carnifici offerant & exponant.

Tandem Zepperus pag 757. & seqq. dat consilium, quo pacto occulta scelera in lucem protrahenda sint, ut judicia in facinorosos exerceantur, vicissim sceleribus & sceleratis patrocinium non præstetur. *Hîc*, inquit, *Deum Deut. 17. v. 2. & seqq legem dictasse, quæ apertam tutamq; viam monstret; in qua quinq; præcipiat.* Primum *esse, ut malefici à consciis sceleris Magistratui renuncientur & indicentur; quod nec proditorium, nec Sinonium sit, ut vulgus ferè existimat.* Secundò *Magistratum ad nudas indicationes aliorum non debere esse nimium credulum, illicò ad torturas procedendo, sed prius diligenter inquirere, investigare, interrogare*, Deut. *13. v. 14. quàm fieri possit, occultatissimè* &c. Tertiò *ipsos etiam reos interrogari debere, & omnia tentari ad eliciendam veritatem patratorum scelerum, exemplo Iosuæ Achanum examinantis, Iosuæ*

*ſua 7. v. 19.* &c. Quartò, *nec quæ à reis elicita ſunt, pro certis prius debere haberi, quàm ulterior fiat indagatio, an illa reverâ ita ſe habeant, quia multoties compertum ſit, captivos metu & vi tormentorum ea confeſſos eſſe, quæ ipſos minimè patraſſe poſtea ſerò conſtiterit.* Et Quintò, *accuſatis reis neceſſariam defenſionem, juſtumq; ad illam tempus permittendum eſſe; quò etiam pertineant Advocati, vel Procuratores, qui deſtinentur* &c. Quæ omnia recto ſtant talo, & omnimodâ contradictione carent; excepto, quòd inſtantiæ præoccupando Zepperus concludit: *Quod ſi*, inquiens, *Torturis omiſſis, ſcelera & flagitia multa in occulto manere, neq; in apertum proferri quis cauſetur, cùm inquiſitionibus & investigationibus etiam exactiſſimis ſæpe nihil proficiatur, & opum, honoris atq; vitæ jacturâ potiſſimum repagulum & peſſulum ſceleratorum oribus atq; linguis obdat, non meis, ſed Chryſoſtomi verbis homil. 46. ad pop. Antioch. reſpondeo, ubi inquit: Nec ab omnibus hic exigit Deus, ne reſurrectionem deſperes, & judicium deſinas expectare, quaſi omnes hîc reddant rationem.* &c. *Item verbis Auguſtini l. 3. cont. Epiſt. Parmen c. 2. de diſciplina Eccleſiaſtica: Miſericorditer corripiat hoc, quod poteſt. Quod autem non poteſt, patienter ferat, & cum dilectione gemat atq; lugeat, donec aut ille* (Deus videlicet) *deſuper emendet & corrigat, aut usq; ad meſſem differat eradicare Zizania, & paleam ventilare.* Hæc, inquam, objectionis à Zeppero præoccupatæ ſolutio vera eſt & valida de iis criminibus, quæ certis, & idoneè probatis indiciis carent, ſolâque famæ dicacitate interdum percrebeſcunt, & ad diffamatum per tormenta quærendum nondum ſunt matura, adeoque neceſſariò committenda Deo, *qui cuncta, quæ fiunt, adducet in judicium, etiam omne occultum, ſive bonum, ſive malum ſit*; Eccleſiaſt. c. 12. v. ult. ſicut etiam Chryſoſtomi verba de occultis facinoribus, & Auguſtini de diſciplinâ Eccleſiaſticâ expreſsè loquuntur; de quibus Zepperus oppidò abſurdè addit, *quòd ad ſcelerum pœnas, & ſupplicia publica rectè transferantur.* Quantum enim criminale judicium diſtat à diſciplinâ Eccleſiaſticâ! & hujus correctio, quæ fit mediante gladio Spiritus, ad ſupplicium, quod gladio Carnificis de facinoroſis ſumitur, rectè ſtatuatur transferri! quàm torta eſt hæc inconſequentia! Quicquid a. ſit, quæſtionem hanc de Quæſtione verbis Regii Pſaltis concludo; *Erudimini, qui judicatis terram, ſervite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, Pſal. 2. v. 10, 11.* Aperite in hoc tremendo judicio oculos, non tantùm ante Quæſtionem per tor-

menta, ne innocentes adigantur in has auguſtias, ſed etiam in ipſo Torturæ actu, ne quæſtio in tortum ſit furore percita, tormentorum intenſione arbitrio Carnificis relictâ. Cur enim vehementiâ verborum urgeatur, quem pendulum à fidiculis urget dolorum acerbitas? *Parcas tibimet ipſi*, dicat judex in Tortura reo miſero, *non negando facta, quorum reus es, ne nos ex officio torquere te oporteat facta negantem*: Sic Joſua Achanum, anathematum furem, candidatum ſupplicii, Sorte jam proditum, fuit allocutus: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere, atq; indica mihi, quid feceris, ne abſcondas*, Joſu. 7. ℣. 19. Ac ſic quidem fiat juſtitia, & pereat Mundus. *Non auferet Deus à juſto oculos ſuos, & Reges in ſolio collocat in perpetuum, & illic eriguntur. Et ſi fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis* (vertente Luthero, Gebunden mit Stricken elendiglich) *indicabit eis opera eorum, & ſcelera eorum, quia violenti fuerunt. Revelabit quoq; aurem, ut corripiat, & loquetur, ut revertantur ab iniquitate. Si non audierint, tranſibunt per gladium, & conſumentur in ſtultitia*, Job. 36. ℣. 7. 8. 9. 10. 12.

## *De officio Miniſtrorum Eccleſiæ erga reos, imprimis veneficos & veneficas, condemnatas ad ſupplicium.*

Quàm vehementer jam dudum ἐν ἁγίοις triumphans Theologus D. *Meyfartus* Eccleſiæ Miniſtris, quos odioſè *Prædicantes*, Prædicanten / quanquam ipſe *Prædicans*, appellat, ob Zelum non ſecundùm ſcientiam ſuccenſeat, prolixum eſſet referre. Cap. 4. pag. 35. inquit: **Schauet doch die Liebe eines ungerechten Eyferers/ eines Prædicanten auff der Cantzel; Sie iſt kurtzſinnig/ und feindlich / ſie eyferet / ſie treibet Muthwillen/ ſie blehet ſich / ſie ſtellet ſich ungeberdig** &c. Item c. 6. p. 46. **dem Prediger ſoll ich glauben/ und finde doch in dieſem und jenem Falſchheit/ was kan ich von dem andern halten? Vielleicht werde ich in mehren Stucken hintergangen? der Lehr ſoll ich folgen/ und prüfe in Worten und Geberden keine Sanfftmüttigkeit/ ſondern Grimmigkeit der Parder/ Blutdürſtigkeit der Löwen/ Rachgierigkeit der Tiger/ ꝛc.** Et ſic deinceps per multa libri capita chordâ ferè ſemper eâdem. Qui Eccleſiæ miniſtri hujus monetæ oboli ſunt, digni non ſunt, ut conſcendant

dant cathedram; quâ de causâ operæ pretium est, conclusioni quæstionis quædam subnectere monita de partibus officii Ministerii Ecclesiastici, circa damnatos veneficii reos ad supplicium; de quibus *B. Meysartus* in tractatu germanico pluries allegato, cap. penult. p. 259. 260. 261. 262. duodecim regulas tradit, quarum aliquibus obsequium deferimus, aliquibus verò censoriam virgulam adhibendam esse putamus.

Sex sunt, quibus assurgimus, sex viciſſim, quas corrigendas, aut abolendas esse censemus.

Prima regula inquit; Requiritur à Confessariis, *ut sint humiles, misericordes, condolentes* &c. **Daß sie demüttiglich / barmhertziglich / vernünfftiglich / und mittleidenlich handlen / keine Zeichen deß Zorns / der Ungestümmigkeit / deß Hasses / deß Neids / der Widerwertigkeit blicken lassen.** Aurea est hæc, & in æs incidenda regula. An enim sub cœlo miserior, & consequenter misericordiâ dignior creatura est, quàm sunt rei, ob facinora patrata ad gladium, laqueum, imò ignem damnati? quorum conscientias si Confessarius, priùs legaliter factis faciendis, condolenter & mansuetè ex verbo Dei non erigit, quid mirum, si supplicium prævertat desperatio? dum *laquei mortes eos circundant, & conturbant torrentes Belial:* Ita ergò Confessarius erga hos miseros candidatos supplicii sese exhibeat, ut ad primum ipsius conspectum reficiantur, quemadmodum antè exhorruerunt conspecto Carnifice. Si enim reficiendi sunt corporali nectare mœrentes, *qui perituri sunt*, sicut Lamuelis mater præcipit, *ut miseriæ suæ obliviscantur*, Prov. 31. ℣. 6. quid non fieri debere putemus ab animæ Confessario, nectare Evangelii propinato, etiam quod ad modum humanitatis & condolentiæ attinet? Sic præeunte Confessarios Christo, *cujus vox non auditur foris*, vertente Luthero, **Er wird nicht murrisch** seyn; *calamum quassatum non conterit, & linum fumigans non extinguit*, Esa. 42. ℣. 2. Quod etiam in familiaritate conversationis Confessario observandum esse puto, ne in eos, quos ante vincula ob ætatem in plurali numero *vobissando* fuit allocutus, jam in hac miseria austerè *tuissando* invehatur, sed in tertia persona cùm iis loquatur, ad declinandam inhumanitatis speciem.

Secunda regula jubet Confessarios *implorare Deum ad impetrandam illuminationem Spiritus Sancti in tam gravi negotio.* Prima debuisset esse regula hæc; juxta illud: *A love fac orsum, ne serpens det*

*tibi morsum.* Item ; *Sine tuo Numine nihil est in homine, nihil est innoxium.*

Tertia regula vetat Confessarios, *ne spirando urgeant reos damnatos, ut in confessione persistant.* Rectè, nisi reus sponte confessionem revocet, eamq; doloris magnitudini adscribat ; quo casu Confessarii officium requirit, ut eum adhortetur, ne judici fucum faciat ; sin revocationi confessionis extortæ inhæserit, tum Confessarius hoc judici indicet, eidemq; totum negotium, ceu ordinario Magistratui, in solidum committat.

Quarta regula jubet Confessarios *Reos damnatos admonere, ut, si quos præter meritum vi Torturæ detulerint, conscientiam liberent, & innocentiam innocenter delati aperiant.* Etiam hoc rectè: secus quâ conscientiâ condemnati finirent? quî salvi fierent?

Undecima regula ex Ordine à *D. Meysarto* observato, jubet Confessarios *rationem habere temporis, personæ, ætatis, & Status reorum.* Quis neget hoc in tantâ tàm facinorum, quàm reorum diversitate & varietate?

Duodecima regula admonet Confessarios, *ne sibi ipsis nimium fidant, aut Salomonis sapientiam imaginentur ; sproto Virorum ætate gravium, & doctrinâ excellentium consilio.* Iterum optimè monitum! Utinam tàm benè in regulis, quæ sequuntur!

Sex ergò reliquæ regulæ, à *D. Meysarto* Confessariis reorum traditæ, corrigendæ potius, quàm pro regulis habendæ sunt.

Quæ numero quinta est, jubet Confessarios *in specialia reorum facta inquirere, reos ex inquisitis circumstantiis examinare, & quæ disconveniunt, iis demonstrare* &c. Atqui quid hoc aliud esset, quàm incompetens in acta judicis inquisitio, & studiosa reorum, ut confessionem resorbeant, instigatio?

Sexta regula adhuc durior est, jubens Confessarios, *si subodorentur,* wann sie spüren / *captivis reis vi Torturæ aliquid esse extortum, ut judicem ob id igneo Zelo, tanquam perturbatores Israël, corripiant, & hoc quidem in eorum faciem, etiam cum mortis, si id ipsis ob hanc correctionem metuendum esset, periculo.* Atqui quo argumento certus esse potest Confessarius, rem ita se habere, ut ille putat, *se eam subodorari?* Cui deinceps plus fidei tribuat ; An reo, qui forsan metu mortis confessa revocat? an judici, qui indubitatis indiciis gravatum, & delicti, cujus corpus præ oculis est, pænè convictum, per fidiculas ad confessionem compulit? Num Confessarius eum, qui est administra-

ſtrator juſtitiæ, ob adminiſtratam juſtitiam in faciem corripiat? quid ſolatii capere poſſet talis Confeſſarius, ſi hoc pacto in periculum mortis incideret, quia revera pateretur tunc, ut ἀλλοτριοεπίσκοπος? à quâ culpâ quemlibet Chriſtianum ſibi accuratè cavere Petrus 1. Epiſt. c. 4. ℣. 15. adhortatur. Sufficit ergò hoc in caſu Confeſſariis cautela, quàm in tertia regula poſuimus.

Septima regula planè à recto tramite deviat, & ex Confeſſario ex profeſſo facit ἀλλοτριοεπίσκοπον, planè, ut regula antecedens; jubens eum *ex actis Iudicum Criminalium*, der Hexenmeiſter/ *inquirere, quàm bellè*, wie artig/ *protocollum judicum*, der Marter-Herren/ *& confeßiones torturum concordent*. Juſtior & exactior cenſuræ virgula ad hanc regulam expungendam haberi non poteſt, quàm Chriſtus ſuo exemplo Confeſſariis in manus dedit, cùm quidam eum rogaret, ut fratrem ſuum hortaretur ad diviſionem hæreditatis, Chriſtus autem ei reſponderet; *Homo, quis me conſtituit judicem, aut diviſorem inter vos?* Luc. 12. ℣. 14. Ad quem textum D. Andr. Oſiander in margine hæc verba annotat: *Non improbat Chriſtus officium Magiſtratus, ſed diſcernit officium Eccleſiaſticum à politico*: & ut in terminis Criminalibus maneamus, ne quidem fœminæ in adulterio deprehenſæ, & coram ſe à Scribis & Phariſæis accuſatæ judex Salvator eſſe voluit, inquiens; *Nec ego te condemnabo; vade, & jam amplius noli peccare*, Joh. 8. ℣. 11. Et Confeſſarius juxta hanc *D. Meyfarti* regulam acta Criminalia à judice petat, ea cum Veneficarum confeſſionibus contendat, ut pro venificis contra Judices ſuum interponat judicium! Niſi beatus eſſet hic celebris famæ Theologus, auſim dubitare, num, cùm hanc regulam traderet, fuerit rationis compos: Et hoc quidem eò magis, quia ipſe in hoc vehementi ſuo libro imprimis cap. 8. pag. 58. concionatores, qui Magiſtratus ſuos ad veneficia punienda adhortantur, hoc ipſo nomine, quod intra cancellos ſui officii ſeſe non contineant, acerrimè perſtringit, ut verba ſcurrilia pigeat allegare; quibus vel tandem ſubjungit: **Ach/ was ſoll ich ſagen und klagen? die Prediger haben ja das Recht nicht ſtudirt/ und darumb haben ſie keinen vollen Verſtand in Sachen. Wann ſie nicht in ihren Schrancken bleiben/ wie hefftig verſündigen ſie ſich**: nunc autem regulam tradit, juxta quam Confeſſarius etiam in acta judicis inquirat, ut inter judicem & reos cauſam cognoſcat, & de cauſâ cognitâ ſententiam ferat! Annon manifeſtus andabatiſmus hic eſt?

quanquam nec hae ſolummodò in regulâ tradendâ, ſed etiam infrà cap. 35. pag. 254. ſui oblitus, conſilium det, ut Concionatores ſedeant in ipſo judicio criminali, & vota ad ſententiam ferendam conferant, dum ſcribit: **Wäre es nicht ſicherer / wann zu ſolchem peinlichen** Senat **nicht nur Politiſche / ſondern auch Geiſtliche Perſonen gezogen würden?** Quid autem ibi agant, ſi cauſas criminales non intelligunt? **Wann ſie in Sachen keinen vollen Verſtand haben?**

Octava tandem regula jubet Confeſſarios, *ut animos reorum promiſſionibus, obligationibus, atteſtationibus lucrentur, nocentiam & innocentiam hoc pacto à reis expiſcentur.* Atqui quid hoc aliud eſſet, quàm reos ſeducere, ut gloriam, quam confitendo Deo dederunt, negando Deo iterum auferrent? quò confuſionis vel tandem progreſſura eſſet Reſpublica Chriſtiana, ſi in judicata tribunalium concederetur Confeſſariis inquiſitio, an judicata rectè ſeſe habeant, nec ne? nocentes an innocentes damnati ſint, nec ne? Annon hoc pacto introducerentur ſcrutinia cauſarum forenſium Jeſuitica? Retia, quibus Confeſſarius reorum animos aucupetur, alia non ſunt, quàm Evangelica, in quibus non Confeſſariorum, ſed ipſius Dei continentur promiſſiones, conteſtationes & obligationes, de peccatoribus etiam maximis, ſi convertantur, in gratiam recipiendis, in quibus retibus tendendis Confeſſarius equidem affabilitati erga hos miſerrimos candidatos mortis ſtudeat.

Et hæc quidem de partibus Miniſterii Eccleſiaſtici circa veneficos & veneficas, quibus ſententia mortis eſt denunciata, nihilque reliquum eſt, quàm ſupplicium.

Sed quia principiis eſt obſtandum, & contra μεθοδίαν Diaboli ſerò medicina paratur, qui plerumque venit ἐν τῷ καθεύδειν τὰς ἀνθρώπους, Matth. 13. ℣. 25. & laqueos nobis tendit, quos citra ſalvum conductum angelorum impoſſibile eſt declinare, ut Auguſtinus Soliloq. c. 16. de iis ſcribit: *Ecce tetendit ante pedes noſtros laqueos infinitos; & omnes vias noſtras variis replevit decipulis, & quis effugiet? laqueos poſuit in divitiis, laqueos poſuit in paupertate; laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in ſomno, in vigilia* &c. quod lugubris experientia, & criminales proceſſus contra veneficos & veneficas (proh dolor) vero veriùs teſtantur; quid reliquum eſt, quàm ut imprimis Eccleſiarum Miniſtri contra hunc rugientem leonem officium ſuum quoquo modo *vigilan-*

*gilando* faciant ? Ut *vigilent* , ovibus ſuis pericula ab hoc infernali Spiritu paſſim ſtructa, ob oculos ponendo, dum *quaſi leo rugiens circumit , quærens , quem devoret* ; 1. Petr. 5. ℣. 8. *Vigilent* , fraudes , inſidias & deceptiones nebulonis infernalis , donec miſeras animas in naſſam trahit, detegendo ; inquientes cum Apoſtolo : ἃ γὰρ ἀγνοοῦμεν αὐτῆς τὰ νοήματα , 2. Cor. 2. ℣. 11. *quia*, dicente Fulgentio , Epiſt. 4. ad Probam , *non eſt aliquod vitæ tempus , in quo non hominibus muſcipulam tendat inimicus : Vigilent* , Eccleſiis ſuis funeſtiſſima exempla eorum remonſtrando , quos ob veneficia , inſtinctu Diaboli patrata , jam cum horrore abſumpſerunt ſupplicia ; *Vigilent* , jam ab hoc maligno hoſpite ſeductos , ſed adhuc dum ſub ſenticeto latentes dehortando, & argumentis ex verbo Dei deſumtis inſtando , ut reſignatâ Diabolo ſuâ fide revertantur , ac monſtratâ viâ, quæ foro ſoli equidem non ſpreto, in converſionis tamen tramite non attento , tempore gratiæ reſipiſcentibus ad Salvatorem adhuc patet ; *Vigilent* , Diſciplinam Eccleſiaſticam paternâ ſeveritate urgendo, ſibique & toti gregi attendendo , imprimis *concupiſcentiis carnis & oculorum , ac ſuperbiæ vitæ* , 1. Johan. 2. ℣. 16. ebrietati , chorearum levitati , amorisque juvenum & juvencularum inordinati procacitati ſeſe opponendo ; quia dici non poteſt, quot volucres infernalis auceps decipiat, ſi hæ fiſtulæ dulce canunt, & ab iis , qui eas ex officio frangere deberent , non franguntur : *Vigilent* , magiſtratus ſuos ex verbo Dei modeſtè adhortando , ut his Diaboli cuniculis , per quos tot myriades animarum in æternum exitium præcipitantur , eo , quo par eſt , Zelo ſeſe opponant , deprehenſa , & in apricum ducta maleficia puniant , hocque pacto ſecuritati ſocietatis humanæ conſulant ; ſpretis dicteriis , quibus , ſi hoc pacto vigilant , à *D. Meyfarto* attrectari videntur , ac ſi *roſarum ſertum ſtercore equino adornarent* , & exinde titivillitium caperent , **daß ſie ſich einmal in der Kirch können loben und außkollern** ; qualia in tract. ſæpius allegato cap. 8. pag. 58. item c. 18. p. 158. ipſis objiciuntur : *Vigilent* auditores ſuos ad vigilantiam & preces contra maleficum hoc genus hominum excitando, ſicut Chriſtus hæc duo prophylactica , *vigilate & orate*, Matt. 26. ℣. 41. tentationibus opponere jubet ; quia exemplis conſtat, veneficas proximo multoties damna inferre non potuiſſe , niſi precibus matutinis negligenti , quemadmodum M. Waldſchmid *in Pythoniſſ. Endor.* Conc. 11. p. 244. ex Herberg. part. 8. Magnal. exemplum alicujus

cujus Paſtoris refert, qui noluit credere, quòd veneficæ homini quicquam nocere poſſint, donec venefica quædam interventu ſingularis ſtratagematis ei ita nocuit, ut fidei documentum cum dolore in proprio corpore habuerit: Imprimis etiam *vigilent*, Sadducæos noſtros redivivos, qui & Sagas, & Spiritus, Sagas ſeducentes, eſſe pernegant, refutando, eisque Diaboli ungues, ex quibus infernalem Leonem diſcant, in his veneficorum & veneficarum horrendis facinoribus monſtrando; de quibus ſuprà pag. 52. concluſionem *ex Religione Medici*, hos Sadducæos *atheos* arguentis, approbavimus; quamvis qui refutentur, vix habeantur digni, ob argumenta à poſteriori tàm evidentia, ut Solis meridiani lumen æquiparent; inter quæ imprimis numeranda eſt hominum àloco in remotiſſima loca momentanea deportatio, & per aërem transvectio; quemadmodum exemplum cujusdam juvenis, Diabolo non fœderati, & tamen è loco propè Eſslingam fere in momento temporis usque in fines, ſirectè memini, Colonienſis agri deportati, inpromptu eſt, quod Patrum noſtrorum memoriâ contigit, & cum circumſtantiis cognitum, atque in acta relatum Eſslingæ in Archigrammatei regiſtratura extat, digniſſimum, quod ad obturandam Sadducæorum & Atheorum noſtri temporis buccam in lucem publicam emittatur.

Hactenus de quæſtione prima, nempè; *An modus maleficos & fagas per tormenta quærendi ſit legitimus, nec ne?* ſequitur quæſtio altera,

## *Quo ſupplicii genere malefici & veneficæ ſint afficiendæ?*

Dixi in Oratione pag. 11. *Si Erythræa hodie viveret, eam pro lamia habitum, & ſecundum Carolinam, imò Moſaicam Conſtitutionem igni adjudicatum & combuſtum iri.* Limitavi ſuprà in his notis ſub lit. Qq. pag. 55. hoc effatum ex mente *Frid. Martinij*, Canonum apud Friburgens. Profeſſoris, qui lamias etiam ſine venencio Diabolo fœderatas ultimo ſupplicio, & quidem igni adjudicat: Limito id ulterius, tanquam adhuc liberaliùs, etiam de Moſaica Conſtitutione dictum, quia Moſaica Conſtitutio de genere ſupplicii lamiarum nihil definit, excepto, quòd earum pœna ſit ultimum judicium; *Maleficos* (juxta Hebraicam veritatem, *Maleficam*) *non patieris vivere*, Exod. 22. ℣. 9. Ubi notandum,

536

sandum, in orig. textu extare participium nominale מְכַשֵּׁפָה, per quod nonnulli talem veneficam intelligi putant, quæ in perniciem hominum & pecudum veneficia exercet ; Sed quos *Delrio* Disq. Magic. l. 1. c. 2. pag. 11. refutat, inquiens ; hac voce *Magicorum ludibriorum genus omne contineri* : quamvis etiam Carolina Constitutio cap. 109. Diabolo sine maleficio fœderatos ab ultimo supplicio eximere videatur, juxta verba c. 109. : **Wo aber jemand Zauberey gebraucht/und damit niemand Schaden gethan hätte/soll sonst gestrafft werden nach Gelegenheit der Sachen / darinnen die Vrtheiler Raths gebrauchen sollen / wie vom Rathsuchen hernach geschrieben steht.** Quicquid sit, *Maleficos*, sive *Maleficam*, inquit lex divina, *non patiaris vivere.* De supplicii genere in præsens quæstio est, quam Carolina Constitutio l. c. definit esse vivicomburium : **So jemand den Leuten durch Zauberey Schaden oder Nachtheil zugefüget/soll man ihn straffen vom Leben zum Tod/ und man soll solche Straff mit dem Feuer thun.** Ex quo evincitur, Veneficos & Magos in Imperio Romano regulariter flammis comburendos esse. Quanquam autem à me procul abesse velim omnem sugillationem hujus Constitutionis ; quâ hæc execranda Diaboli mancipia ad ignem sibi in debitam pœnam, & aliis in terrorem condemnantur ; ingenuè tamen fateor, me ob hoc supplicium damnatis propter cruciatus, qui infernalibus vix inferiores esse videntur, semper condoluisse, veritumque fuisse, ne patientia illorum ob tormenta vehementissimi elementi in desperationem verteret, & Confessarii in erigendis eorundem animabus oleum & operam perderent, si vitæ finem, ut metuendum, excipiat desperatio ; quam ob causam crediderim, Inquisitoribus Hæreticæ Pravitatis regni pontificis à Spiritu non alio, quam qui homicida est, adversus confessores veritatis inspiratum esse vivicomburium, scilicet ut in Scyllam desperationis per flammarum cruciatus inciderent, qui apostasiæ Charybdin per spiritum constantiæ evitarunt ; *in quorum tamen infirmitate virtus Dei perficitur*, 2. Cor. 12. ℣. 9. ut *nulla creatura*, consequenter nec violentissimum ignis elementum, *eos à charitate Dei separare possit*, Rom. 8. ℣. 39. sicut exempla martyrum *Ioh. Hußi, Hieronymi Pragensis*, & myriadum aliorum testantur. Quòd autem hoc supplicium omnium sit crudelissimum, vel minima flammula, saltem extremitatem minimi digituli contingens, id negantem docere potest ; ut

jure merito pro *severissima pœna* à Carpzovio part. 1. Criminal. quæst. XLIX. n. 5. habeatur; contrà, quàm *Andr. Rivetus* Exercit. CLIII. in c. 38. Genes. fol. 745. sentit, lapidationem supplicio ignis non minus gravem fuisse, *quia ignis celeriùs suffocaverit, lapidati autem sæpe multum languerint, pluribus ictibus, priusquam expirarent.* Quid enim centum ictus lapidum ad unum saltem momentum temporis, quo homo vivus miserandum in modum totus ardet & crematur? Scribo de hoc supplicio tanquam *αὐτόπτης*, cùm Esslingæ adhuc *ὡς ὁ τῶν Δακόνων ἐλάχιστος* veneficos bis ad rogum comitarer, atque jam ardentibus acclamarem solatia, ipsique Carnifici accurrenti ad me, & quòd flamma ardentes citiùs non suffocaret, conquesto, darem consilium, ut tantùm non deserpantes in igne prominente unci cuspide per pectora transfigeret, & palo affigeret; qui dicto facto tormentis finem imposuit? Quod spectaculum tàm profundè subiit meum animum, ut dubitare inceperim de sententia interpretum Legis Mosaicæ, quæ Levit. 21. *v.* 9. præcipit, *ut Sacerdotis filia fornicans comburatur*, utrum lex hæc intelligenda sit de vivicomburio, ut quidem litera Legis id innuere videtur: Si enim hanc legem excipiamus, nec vola nec vestigium de hoc supplicio extat in populo Dei usurpato? Nam quod Juda de nuru sua Thamar, cùm audiret eam fornicatam fuisse, dixit; *Producite eam, ut comburatur*, Genes. 38. *v.* 24. est extra lineam, quia sententiam præcipitatam & crudelem fuisse, omnes circumstantiæ textus evincunt; ut taceam, tum temporis in populis illis, inter quos Patriarchæ tunc vixerunt, adhuc omnia confusa fuisse, non exacta ad certam juris regulam, quæ postea in populo Dei, lege divinâ latâ, obtinuit. Nec sententia Josuæ tàm horrendo supplicio patrocinium præstat, utut litera textus præstare videatur; quando inquit: *Quicunque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni, cum omni substantiâ suâ*, Jos. 7. *v.* 15. quia versus 25. in hoc ipso capite clarè evincit, hanc combustionem non se vivicomburium Achani, quam præcessit sacrilegi furis lapidatio, ut habent verba textus ad hebraicam veritatem exacta: *combusserunt eos igni; etenim lapidaverunt eos lapidibus.* Quibus consideratis, utique analogia administratæ justitiæ urgere videtur, ut hanc legem de Sacerdotis filiâ ob fornicationem igni adjudicandâ, non tàm de vivicomburio, quàm de combustione prius lapidatæ intelligamus? quia non tantùm præter hanc, in juvenculam facili persuasu ad lapsum pronam, latam,

aliud

aliud exemplum in lege Mosaica non extat, verùm etiam propter hanc rationem, quia pœnæ semper debent commensurari delicto, *l. perspiciendum. 11. l. hodiè 13. ff. de pœnis*; econtra delicta longè graviora, ipsum nempe adulterium, non vivicomburio, sed lapidatione puniebantur, Deut. 22. ℣. 22. 24. Sed ut ad Veneficarum & Sagarum redeamus supplicium, quia lex divina nihil de eo determinat, consentaneum est, lapidatas eas fuisse, quia eadem lapidationis pœna earum complicibus, nempe *divinatoribus, hariolis, blasphemis, & Idololatris* fuit dictata, sicut Levit. 20. ℣. 27. c, 24. ℣. 16. Deut. 13. ℣. 10. & c. 17. ℣. 2. 3. 5. est videre. Ex quo consequens est, eas, sicut & cæteros homicidas, hodie omninò posse, imò flagitante justitiâ, debere necari, corporibus eorum post supplicium igne consumptis, ne de membris, quæ in patratis sceleribus Diaboli erant organa, in rerum natura præter cinerem quicquam reliquum maneat. Sed quia eorum homicidium non homicidium simplex est, apertâ violentiâ commissum, uno atque altero ictu mortalitatis lumen extinguens; sed homicidium plerumque lentum, iis cruciatibus cumulatum, qui sæpè sunt intolerabiles; homicidium ut plurimùm sub amicitiæ prætextu, vel halitu, vel affatu, vel tactu & popismate, tanquam vehiculis penetrantissimi veneni Diabolici commissum; adeoque homicidium tàm fraudulentum, tàm fucatum & tectum, ut nemo sit, qui id, nisi Deus maleficos cohibeat, animadvertere & evitare possit, etiamsi tàm acutum videat, quàm aquila, aut Epidaurius serpens; imò homicidium, cujus immediatus ἐργοδιώκτης est Diabolus, aliis insuper horrendis sceleribus, Sodomiâ, mutisque peccatis, incestu, & abominandis incantationibus onustum; ideò mirum non est, si contra hoc abominandum genus hominum Cæsarea Majestas excanduit, & extremitati scelerum extremitatem supplicii, nempe *Vivicomburium* in Constitutione Criminali dictavit. Si tamen resipiscentibus, & misericordiam à Deo consecutis his reis etiam judex, penes quem in mitigandis suppliciis aggratiandi jus residet, misericordiam exhibet, & loco flammæ gladium aut laqueum eorum gutturi decernit, etiam forcipibus candentibns, si scelera abominanda sunt, eorum membris, dum ad supplicium educuntur, ustulatis, qui cruciatus utut exquisitissimus sit, tamen quia momentaneus est, periculo desperationis caret, hoc, inquam, misericordiæ cum justitia moderamen si judex miseris reis exhibet, geminam pro simplici laudis palmam reportat, unam *justitiæ*, alteram

*miſericordiæ*; quæ utraque inclytæ Reipubl. Eſslingenſis Magiſtratui jure merito debetur, qui anno proximè dilapſo viginti duos veneficii reos, veneficos & lamias, ultimo ſupplicio adjudicavit, tantùm duobus eorum, quorum ſcelera ſine exemplo infanda erant, *Vivicomburio* punitis, duorum item dexteris prius abſciſſis, & lamiâ unicâ, itidem ob atrocitatem facinorum forcipibus candentibus appræhensâ aut laceratâ, cæteris omnibus prius decollatis, corporumque eorum truncis rogo impoſitis, & in favillas redactis.

Fuit longa ſatis, & ampla de ſalebroſâ veneficii materiâ διέξοδος: pergendum jam ad annotanda, quæ reſtant.

(*Rr. pag. 12.*) Dico hæc, non ut Euſebii canos vellicem; in cujus cineres mingere nobis religio ſit. Agnoſco, quemadmodum longè flagrantior erga religionem fuit pia Antiquitas, quàm fert tepor noſtrorum temporum: Ita præ fervore amoris erga Chriſtum, in amplexandis documentis fidei, longè majorem fuiſſe Ejus, dicamne *credulitatem*, an *credendi ſimplicitatem*, donec hæreticus furor piis, & eruditione profundis patribus oculos magis aperuit, & vexatio majorem intellectum eis dedit. Jam autem mirum non ſit, nobis innotuiſſe ea, quæ tempore, ut innoteſcerent, opus habuerunt. Libet integra adſcribere verba Euſebii ex λόγῳ βασιλικῷ jam ſuprà allegato, ubi de Erythræa ſcribit: *Illam Φάσκουσαν ἑαυτὴν ἱερεῖον τοῦ Ἀπόλλωνος, dicentem fuiſſe ſe Sacerdotem Apollinis*: addito; *diadema ex æquo unà cum Deo, cui ſerviebat, geſtare*: & ſtatim ſubjuncto; *quòd appropinquantes ad ſe abjecerit propter dementiam parentum, qui eam* τοιαύτῃ λατρείᾳ, tali cultui tradiderint, δι' ἣν ἀλχήμονες θυμοὶ, καὶ ἄδεν σεμνὸν ἐπιγίνεται, *per quam etiam dedecoroſæ furiæ, & nihil venerabile ſuperveniat.* Quid contemptius de hujus Phœbadis Sacerdotio dici aut ſcribi poſſet? ut etiam τῆς ἀκαίρου δαιμονίας ἐπαχθεῖσαν, *importunâ ſuperſtitione agitatam*, ſed è veſtigio ſimul θείας ἐπινοίας ὅλως γενομένην μεστὴν, *divinâ inſpiratione reverâ refertam carminibus futura de Deo vaticinatam eſſe* addat. Hæc, inquam, quomodo cohæreant, non video; Apollinis, hoc eſt, *Dæmonis ſacerdotem eſſe, eo cultui propter dementiam parentum conſecratam eſſe, in quo dedecoroſæ furiæ, & nihil venerabile eſt, & importunâ ſuperſtitione occupatam*; Et tamen, *divinâ inſpiratione refertam eſſe*: Tandemque recenſito ejus, ut putatur, carmine, addit: *Et hæc virgo perſpicuè vaticinari potuit: hanc ego quidem beatam judico, quam Salva-*

tor

*tot providentiæ suæ erga nos vatem reliquit*: Quæ, inquam, pietati intentionis, cujus scopus fuerunt ethnici ex propriis suis Prophetis refutandi, adscribenda sunt, superbâ exagitatione tanti luminis Ecclesiæ procul habitâ. Utinam Neocritici quidam, quibus erudito hoc nostro seculo ferè nihil placet, quod suum non est, tam ferventer essent νήπιοι in amplectendâ veritate Evangelii, ac suo tempore eruditissimus fuit Eusebius; quantâ æquanimitate censoriam eorum virgulam, etiam ubi nodum in scirpo quærunt, admitteremus.

(*Ss. pag. 12.*) vide Genes. 3. ℣. 4. 5.

(*Tt. pag. 12.*) vide Johannis 8. ℣. 44. 45.

(*Vu. pag. 12.*) Vitam Sibyllarum impudicam & profligatam fuisse, non contemnenda, aut digito exucta argumenta in medio sunt. Ex virginibus primùm electas fuisse, *Boissardus*, alioquin in amplectendis earum oraculis ferè justo facilior, Tract. posth. c. 2. p. 4. ex autoribus refert, quæ præ cæteris objectis fœminini generis delicatus bolus immundorum Spirituum sunt. Licet enim Spiritus cum hominibus rem venereamexercere posse Chrysost. Homil. l. 22. in Genes. pro fabula habeat, quia Spiritus carne & sanguine carent; cui sententiæ etiam Cyrillus l. 9. contra Jul. calculum adjicit; experientia tamen testatur, Diabolum virginibus non secus, ac lupum ovibus insidiari, etiam pudicitiam earum tentando, corpore vel assumpto, vel ficto, aut per fascinationem simulato; ita tamen, ut nullibi ulla generatio accidat. Quid impuritatis ab hirco infernali cum his Phœbadibus in abdytis & antris, in quibus ecstases & furorem eis immiserat, non exercitum fuisse putemus? Quid multis? Ream confitentem habemus Pythiam, quæ secundum & septimum librum Oraculorum Sibyllinorum sibi, tanquam autori, adscribit, & scortum adeò impudicum se fuisse fatetur, ut juxta infandam scortationem etiam cum patre incestum se commisisse dicat: lubet adscribere ejus verba, quibus septimo oraculorum libro finis imponitur, quæ ita habent:

Ὡς ἐμὲ τὴν λυγρήν. Ὅσα γὼ κακὰ πρόσθεν ἔρεξα,
Εἰδὴ, ἀλλὰ τε πολλὰ κακῶς ἐπόνησ' ἀμελοῦσα;
Μυελία μοὶ μοι λέκτρα, γάμος δ' ὑδεὶς ἐμελήθη.
Πᾶσι δ' ἐγω πάνάπυος ἐπήγαγον ἄγελον ὄρκον.
Λαομένους ἀπέκλεισα, καὶ ἐν προμολῆσιν ἰοῦσα,
Ἰκελον ἐς αὐλῶνα, θεῦ Φάτιν οὐκ ἐνόησα.

Τέκνα πῦρ μ' ἔφαγε, καὶ βρώσεως ὧδε χὠ αὐτὴ
Ζήσομαι, ἀλλ' ὀλέσαι με κακὸς χρόνος, ἔνθα τάφον μοι
Ἄνθρωποι πύξουσι, περιερχόμενοί με θαλάσσης,
Καὶ με λίθοις ὀλέσουσιν. Ἐπὶ μοι χὠ πατρὶ λαλῆσαι,
Ἵνα φίλον μετέδωκε. Βάλοίτέ με, βάλλετε πάντες.
Οὕτω χὠ Ζήσω, καὶ ἐς οὐρανὸν ὄμματα πήξω.

Hoc eſt, ut ligata horum Oraculorum habet verſio;

*Vt ſceleratam me. Nam quæ ſcelera ante patravi*
*Prudens, & ſtudio peccandi perdita feci?*
*Mille mihi lecti, connubia nulla fuerunt,*
*Iureq́; jurando quosvis perjura ligavi.*
*Excluſi tenues, & permolliſſima rura*
*Quoslibet admiſi, magni ſecura Tonantis:*
*Propterea igni ſum conſumpta, ævoq́;, reipſa*
*Vivam, ſed perdet durum me tempus, ibique*
*Conſtituent homines buſtum mihi, poſteri & undis,*
*Me periment ſaxis.* *

Nota, translator verba,

*- - - Ἐπὶ μοι γὰρ πατρὶ λαλῆσαι*
*Ἵνα φίλον μετέδωκε:*

Forſan ob caſtas aures & oculos Caſtalio non vertit, quia profligatiſſimæ pudicitiæ beſtia in iis fatetur, ſe ſuum genitorem ad inceſtuoſum ſtuprum moviſſe, & ex hoc inceſtu ei filium peperiſſe: cætera ita continuantur;

*- - - Me cædite, cædite cuncti,*
*Sic etenim vivam, atque in cœlum lumina figam.*

Per has ne Phœbades, per hæc inceſtuoſa proſtibula Spiritum Sanctum, *cujus ſapientia in animam malevolam non intrat, nec in corpore peccatis ſubdito habitat*, Sap. 1. ℣. 6. immediatè locutum eſſe putemus? ſi qualiacunque vel tandem ſint, etiam, ne fucus appareat, diviniſſima eſſe videantur, quæ malignus Spiritus per iſtos fraudulentiæ tubos deducit, qualis erat illa ex obſeſſis, de Chriſto Jeſu, *eſſe enim filium Dei*, acclamata confeſſio, & ne maligni confeſſores ante tempus torquerentur, anxia deprecatio, Matth. 8, ℣. 29. ut quis ſpurciſſimos deaſtros, qualem ob inceſtuoſam δεστεγομανίαν Apollinem fuiſſe ſuprà audivimus, quorum Sacer-

ſacerdotes hiæ impiæ Phœbades erant, digna opercula his patellis meri-
to appellaret.

(Xx pag. 12.) De hac oraculorum, à Prophetis & Sibyllis proditorum differentia, ſcribit *Polydorus Virgilius* de Invent. Rer. l. 1. c. XXIIII. *Eſſe divinandi genus naturâ, quod nonnunquam vaticinantibus per furorem contingit, ut accidiſſe legimus Sibyllæ Erythræ, & ſacerdotibus nonnullis; cujus generis oracula etiam habenda erant, qualia fuerant oracula Apollinis, aut Ammonis, aut reliquorum, in quibus homines crebrò illudebantur, velut quæ arte dæmonum, humanâque fraude reddebantur. Verùm Prophetæ, qui divino ſpiritu, non furore lymphatico afflati erant, nunquam fallebant.*

(Yy. pag. 12.) vide Epiſt. 2. ad Corinth. cap. 11. ℣. 16. item 2. Corinth. 2. ℣. 11.

(Zz. pag. 12.) vide 1. Cor. 1. ℣. 23.

(α. pag. 13.) Pſal. 14. ℣. 1. Jac. 2. ℣. 19.

(β pag. 13.) 1. Pet. 1. ℣. 19. 2. Tim. 1. ℣. 12.

(γ. pag. 13.) Notanda ſunt hîc verba Clementis Alex. de horum Oraculorum expiratione, quæ libro contra gentes in hunc modum habent: *Vltimo ſilentio Caſtalius & Colophonius fontes, cæteraq; fluenta, quæ vim divinandi habere videbantur, extincta cum ſuis fabulis defluxerunt: totiusq; vinationis potius, quàm divinationis nefanda myſteria ceciderunt. Silet Delphicus, Pythius, Didymus, Amphiaraus, Amphilochus, Tacent Aruſpices, Augures, ſomniorum interpretes, & qui farinâ & hordeo vaticinabantur.* Boiſſardus Tract. Poſth. f. 96. ſub finem de Hammone ita ſcribit: *Certum eſt, hæc omnia Dæmonum oracula, paulò ante adventum Chriſti ſervatoris obmutuiſſe: vel frigida admodum viſa hominibus, qui horum vanitatem jam incipiebant perſpicere, quòdq; Chriſto in hunc mundum veniente tenebras illas denſas, quibus mortale genus tot ſeculis involutum fuerat, ortâ luce oportebat diſcuti. Nam Lactantius libro de origine erroris c. 17. de Dæmonibus loquens, ait: In oraculis autem vel maximè fallunt quorum præſtigias profani intelligere non poſſunt. Poſt Chriſtum ſanè non legimus apud Autores, tantam fuiſſe Deorum fatidicorum autoritatem, quæ facile ſubverſa eſt, paulatim licet, prædicatione Evangelij per totum orbem publicatâ: Apoſtolis & ſanctis Epiſcopis Dæmoniorum os ſolo juſſu prohibentibus & obturantibus: Quodipſi maligni ſpiritus ſæpiſſimè faſſi & conqueſti ſunt per ſuos Prophetas: Et incitaverunt profanos & ſuperſtitio-*

*ſtitioſos Principes ad perſecutiones excitandas in Chriſtianæ religionis ſectatores, quos acerrimè accuſabant, tanquam omnis pietatis pertinaciſſimos oſores, & religionum, quas univerſus orbis ſacroſanctas colebat, everſores, ut Deorum antiquorum loco ſectam Iudaicam ſubſtituerent, & Chriſtum novum Deum adorandum populis proponerent. Inde tot & tàm atroces cædes & ſupplicia ſtatuta in Chriſtianos, quæ trecentis & ultra annis per totum Imperium Romanum excitatæ ſunt: donec ſub Conſtantino Magno paulatim miteſcere cœperunt Romani, & furorem remittere, & pij Epiſcopi & ſacerdotes ardenti Zelo & contentione, poſthabito periculorum metu, doctrinam ſanctam Evangelij inculcarunt, in mentibus hominum idololatriâ conculcata, & Damoniorum cultibus ſubverſis.* Verba lectu digniſſima, quæ analogiam temporum poſt Chriſtum natum exactè exprimunt. In hunc eundem ſenſum idem ſcribit lib. cit. fol. 122, ſub finem de *Apolline Pythio*; ubi verba ita habent; *Sed paulò ante Chriſti adventum tacere cœperant impoſtorum dæmonum fallacia reſponſa; quamvis eorum fraudes multi magni viri non ignorarent, ſed metu ſuperſtitioſorum Principum & populorum, qui ab his faſcinati ad inſaniam usq; furebant, non auſi ſunt ſuas opiniones publicare. Cicero l. 2. Divin, inquit*: Sed jam ad te venio, ô ſancte Apollo, qui umbilicum terrarum certum obſides, unde ſuperſtitioſa primum evaſit vox vera. Tuis enim oraculis Chryſippus totum volumen implevit, partim falſis, ut ego opinor, partim caſu veris, flexiloquis, & obſcuris, ut interpres indigeat interprete, & ſors ipſa referenda ſit ad ſortem. *Imò*, inquit Boiſſardus porrò, *ipſi Dæmones ſenſerunt, hanc fatidicam, quam Deus altiſſimus illis tot anteactis ſæculis indulſerat, propter idolomaniam hominum, adventu Chriſti Servatoris ſublatam fuiſſe, vel admodum imminutam. Nam ferè ubiq; oracula ceſſarunt, enthuſiaſmo debili, & frigido correpti Prophetæ, Sacerdotes, & Phœbades carmine verba dæmonum exprimere ceſſarunt, poſteà rarò reſponſa dare: quandoq; item fateri, ſe ignorare, quæ interrogarentur*; Cælius Calcagninus *in tractatu de Oraculis adducit hunc verſum Apollinis ſæpius repetitum:*

*Quid fruſtrà petitis? non noſtrum eſt ſcire futura.*

(δ. pag. 14.) 1. Joh. 3. ℣. 4.

(ε. pag. 14.) vide Coloſs. 2. ℣. 15.

(ζ. pag. 14.) vid. Apoc. 12. ℣. 10. 11.

Con-

## *Conclusio de Usu ex his annotationibus & ipsâ Oratione percipiendo.*

Restat, ut vela contraham, & ex dictis colligam, quosdam suo judicio de Sibyllarum Oraculis peccare in *defectu*, quosdam in *excessu*; In defectu, qui Sibyllas aut nunquam fuisse ajunt, ut *Socinus Antitrinitarius*; aut earum oracula tantùm à Judæis mutuata autumant, ut *Boxhornius*; aut penitus ignorari statuunt, ut *Bæclerus*, Patresq; in iis admittendis nimium faciles, ut *Casaubonus*, imò ineptos, ut *Boxhornius*, fuisse argutantur: In excessu peccant, qui ea pro divinitùs inspiratis habent, ut superioribus seculis, imò etiam seculo nostro, communis ferè, etiam magnorum virorum fuit sententia, qui his oraculis θεῖόν τι adscribendum esse censuerunt; nixi autoritate Patrum Antiquissimorum, *Iustini Martyris*, *Clementis Alexandrini*, *Athenagoræ*, *Eusebij*, quibus Montani hæretica τέχνη, quæ tàm clarorum de Christo oraculorum inventrix arguitur, imposuisse videtur. Hæc sententiarum divortia annon commodè declinantur, si quod res est, dicamus: *Hæc scil. oracula, quotquot eorum adhuc extant, & non sunt ψιλοεπίγραφα, neq; ex nuda hominum traditione, neq; ex immediata Spiritus S. illuminatione, sed ex Diaboli inspiratione profluxisse*, qui pro suâ, quâ pollet, ἀγχινοίᾳ ea longè faciliùs ex præsuppositâ revelatione divinâ, sanctis Dei hominibus, Prophetis puta, factâ concludere potuit, quàm acutissimus Aristoteles, nedum ulla fœmina, quæ ἀθενέστερον σκεῦος est, per ullas consequentias elicere posset. Hoc pacto etiam reliqui usus, quos in Oratione expressimus, sibi constant: Quomodo autem is usus sibi constet, quem clariss. *Bæclerus* in suâ Dissertatione infert,, siquidem ejus de Bucolici Virgiliani sensu sententia stare debeat, videre non possumus. *Virgilium*, inquit p. 16. Dissert. *neq; inspiratu divino (quis n. auderet fingere?) nec Sibyllinis ex oraculis, eo modo, quo Constantino, & Christianis aliis visum est, hoc carmen de Christo Servatore mox venturo cecinisse. Modum igitur adversus Ethnicos ratiocinandi mutatione aliquâ opus habere. Illud forte non intempestivè potuisse illis ingeri: Ecce quæ Poëtæ vestri canunt, aut nuper cecinerunt, de instauratione aliquâ felicitatis publicæ, de novo beatoq; sæculo, vos quidem ad Augustum vestrum trahitis: & esto, trahatis: Sed hæc Philosophia altiùs erigere debet vestros animos, ut revera in cœlum oculos attollatis, & divina ab origine repetatis*

*tis illa munera, quæ Augusteis temporibus contigerant: idest, ab illo regē quem è cœlo venisse, natumq́ ex homine, ut homo idem, ac Deus esset, profitemur ac monstramus. Hujus beneficio de Principibus vestris dici potest, quod ipsi proprium est, & perpetuum: Retinete Poëtæ vestri verba & spiritum, & cognoscite, quanto rectiùs & validius de Servatore nostro illa dicantur. Et quandoquidem oraculis tantopere intenditis, quàm pronum est credere, etiam vestra oracula, quibus Poëtæ sua carmina adornant, hoc tempus, hunc Regem designasse, quem nos colimus?* Robur, addit porrò, *accessisset huic orationi ex eo genere argumentandi, quo Eusebius, & ante eum Iustinus, Clemens Alexandr. & alij usi sunt, ex sacris literis, idest, ex fontibus Christianorum præcipua secretioris Philosophiæ Ethnicæ momenta promanasse,* hocque discursu Dissertationem clarissimus Vir concludit; cum cujus pace dictum sit, nos videre non posse, quomodo hæc cohæreant. Si enim Virgilius hanc Eclogam non ex carmine Sibyllæ Cumææ, quæ de Christo vaticinata esse præsupponitur, desumsit; Imò si carmen hoc Cumæum non Cumææ, sed Hesiodi carmen est, ut suprà ex Suida probare velle fuit visus, quâ consequentiâ ethnicis ex eo persuaderi potuit, ut Regem crederent venisse de cœlo, qui idem homo ac Deus est, in quem Christiani credebant, cui proprium & præcipuum sit, quod de Augusto Virgilius hac Ecloga prædicavit? quomodo ex retento Poëtæ spiritu potuerunt credere, rectiùs & validiùs de Christo prædicari, quod de Augusto Virgilius prædicavit? Sicut ex regno de hoc mundo regnum Christi colligi non potest, ita nec ex Rege hujus Mundi Rex gratiæ, aut ex Augusto Christus Rex gloriæ ab infidelibus colligi potuit; quia quæ sunt de hoc mundo, ab iis, quæ de Regno gratiæ & gloriæ sunt, in contraria omnia abeunt: Quomodo ergò ex ἡγεμονικῷ statu Augustei sæculi Regnum gratiæ, & ex Augusto Christus θεάνθρωπος ab Ethnicis colligi, atq; ut in Christum θεάνθρωπον crederent, argumenta ex hac Topica depromi potuerunt? Quod de sacris literis additur, extra lineam quæstionis est, quia de Sibyllarum Oraculis disserimus, annon gentilibus, ut Christum pro vero Deo & Servatore amplecterentur; ex illis primitus persuaderi potuerit? Quod tum fieri potuisse putamus, si gentiles crediderunt, hæc oracula Sibyllis à Deo fuisse inspirata, quæ ipsis inspiravit Diabolus; secus, si nihil θεῖον iis inesse putarunt, ex quibus consequenter nihil, quod divinum est, concludere potuerunt.*

*Epilo-*

546

## *Epilogus apologeticus.*

Concludo vel tandem has Annotationes, in quas præter intentionem Orationis habitæ incidi; quam cùm haberem, & in Acroſtichide ab Euſebio Erythrææ adſcriptâ, ut & in Cumæo Carmine producendo verſarer, inter perorandum obſervavi, à non nemine Auditorum agitari aliquid ſeriò, ut, ſi cathedram tunc primùm conſcendiſſem, ferè mihi accidiſſet, quod aliquando Oratoriæ ſtudioſo accidiſſe ferunt, qui poſtquam coram ſtatuis perorando privatim ſeſe exercuiſſet, tandemque in panegyri publicâ verba faciens, Auditorum capita motitari videret, attonitus ſubſtitit, inquiendo: *Hæc ſimulachra ſe movent*! putans, ſe adhuc coram ſtatuis, in quas intrarint animæ, verba facere. Cùm autem pòſt intelligerem, quos in ſcopulos Orationis meæ ſcapha uni vel alteri videretur impegiſſe, extemplò in eam, ut ſe daturæ eſſent materiarum occaſiones, inquirere conſtitui, ut quid de ſingulis, quæ poſthabitis phaleris ſimplici ſtylo propoſueram, denuò videretur, ingenuè promerem; quod tantâ, ſed intra modeſtiæ cancellos ſe cohibente libertate præſtiti, ut nonnullibi mihimet ipſi, ſicut ex lectione patet, non pepercerim, memor illius divini, quod de cœlo deſcendit, γνῶθι σεαυτὸν; quo nomine, ut ſpero, excuſatus habebor, ſi maximè à clariſſimis viris hinc inde amicè diſſideam, quia conſcientia mihi teſtis eſt, me vitilitigandi ſtudio nihil moviſſe, ſed motis ita reſpondiſſe, ut ubi intacta manet religio, cuilibet liberum ſit, per rationes etiam diſſidere à me, ſicut ego diſſideo ab aliis, quorum ſententias exoſculabor, ſicubi meis ſentimentis vero fuerint propiores: Interim ingenuitas in rebus aliter, quàm fert ſententia, ediſſerere non potuit, nec etiam, ut opinor, debuit; ſi modò ſentire licet, ut omninò liceat, quæ velimus, & quæ ſentimus, apertè dicere.

# *Syllabus,*
# Rerum præcipuarum in hac Inquisitione occurrentium.


A.

Acrostichis *Erythræa adscripta; pro authentica habita, p.* 46. 47. *pro propseudepigraphâ, p.* 47. 48.

Aretinus *suspectus libri de tribus impostoribus Autor, p.* 24.

Arius *oppugnator natalium Christi, p.* 1. *ejus blasphemia, p.* 15.

Atheisticus liber *de nullitate religionis Christianæ, p.* 24.

Augusti *Imperatoris vigilantia in custodiendis libris Sibyllarum, p.* 8.

B.

Baronius & Bellarminus *Sibyllarum libros pro* θεοπνεύστοις *habent, p.* 26. *Bellarminus divinitatem Christi ex iis probat, p.* 9.

Bernhardus Ochinus *suspectus autor libri de tribus impostoribus, p.* 23.

Blasphematores Majestatum, *p.* 15.

Bœcleri *sententia de Ecloga IV. Virgilij, examinata, p.* 38. *& seqq. usque ad p.* 45.

Boxhornius *de principio Oraculorum Sibyllarum, p.* 53.

C.

Calovius *de Acrostichide Erythræa adscriptâ, p.* 49.

Calvinianorum & Jesuitarum sententia *cum Nestorij sententia de nativitate Christi examussim eadem, p.* 1. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.

Casauboni *de Sibyllis sententia, p.* 30. 31. 50. &c.

Caroli V. *Constitutio de Tortura, p.* 67. *item de supplicio Sagarum, p.* 83.

Cicero *de expiratione miraculorum & oraculorum, p.* 50.

Clementis Alexandrini *sententia de Sibyllis, p.* 9. 49.

Cumææ, *ut &* Erythrææ *inspirata à Diabolo oracula,* 11. 33. 88. &c.

Cumææ *carmina partim combusta, partim Tarquinio vendita, p.* 5.

D.

Dei Judicium *solum infallibile, p.* 65.

Diabolus *inspirator Sibyllarum, pag.* 10. *ejus inspirationis furor; ibid.* ἀγχίνοια *in arguendis oraculis de Christo ex Prophetarum vati-*

*Vaticiniis, p. 11. Simia Dei, p. 10. 11. ejus admiranda potestas in homines, nisi à Deo cohibeatur, p. 53. 53. etiam cùm prodesse videtur, nocet, pag. 12. ejus scopus & finis in inspirandis oraculis, etiam veris de Christo, pag. 53.*

E.

Epicureorum & atheorum *impietas, p. 2. 24. ex Sibyllis, ut ut à Diabolo inspiratis, possunt confundi, p. 15.*

Erasmi Schmidii *argumenta pro authentiâ Sibyllarum oraculorum de Christo, cum eorum solutione, à pag. 32. ad 36.*

Erythræa *adscripta acrostichis de Christo, p. 8. Dæmonis sacerdos, ergò lamia, p. 11. ejus sacerdotium Apollini prostitutum, p. 86. 87.*

Errores *circa oracula Sibyllar. in defectu, p. 101. in excessu, 101. 102.*

Eslingensis Reipublicæ *zelus providè inquirendi, & justâ moderatione animadvertendi in lamias & veneficos, p. 69. 88.*

Eusebius *de Christianorum diligentia in libros Sibyllinos, p. 26. ejus laus, quam Erythræa tribuit, p. 80. credendi facilitas in æstimandâ Erythræâ & Cumæâ, p. 86. 87.*

F.

Forerus *Iesuita Nestorianismi convictus, p. 17. 18. 19. 20.*

D. Franzii *opinio de Sibyllis, p. 27.*

G.

D. Gerhardi *opinio de Sibyllis, p. 27.*

H.

Historiæ fides *ob diversam à diversis factam descriptionem, nullitatem historiæ non statim arguit, p. 25.*

I.

D. Jacobi Martini *de Sibyllis opinio, p. 27.*

Jesuitæ & Calviniani *convicti Nestorianismi, p. 17. 18. 19. 20.*

Judæi *conducti blasphematores partus virginei, p. 1. eorum blasphemiæ contra Christum, p. 23.*

K.

Kabala *vox nihil commune habet cum voce Sibyllæ, p. 3.*

L.

Leonis X. Pontificis *dictum, ut fertur, blasphemum de Evange-*

*lio, quod sit fabula de Christo, p. 2.*
Levinus Nicolaus Molkius *Scholiastes Religionis Medici, p. 23.*
Lutherus *de Tortur â p.* 57. (67.) 62. 63.

M.

Magnatum de genethliacis mota quæstio *Majestatis reatum sapit, p.* 1.
Magistratus officium *in examinandis & puniendis veneficis & sagis, à pag.* 60. *ad usque p.* 76. *imprimis p.* 69. 70. 71.
Maresius *frustra conatur à se amoliri Nestorianismum, p.* 21. 22. 23. *ejus sententia de Ecloga Virgilij IV. an ad imitationem Carminis Cumææ Sibyllæ sit scripta, p.* 45.
Mayfartus *contra Torturam p.* 52. (62) 53. (63) 55. (65. 59. (69) &c.
Melancholicarum fœminarum *exempla, quæ falsò putarunt, se egisse cum Diabolo, p.* 71.
Ministerii Ecclesiastici officium *erga reos, imprimis venefícos & lamias ad supplicium condemnatas, p.* 76. 77. *Regulæ de hoc officio, p.* 77. 78. 79. 80.
Ministrorum vigilantia *imprimis propter Diaboli malitiam in Ecclesia summè necessaria, p.* 81. 82.
Montanus hæreticus *Oracula Sibyllarum de Christo confinxisse arguitur, p.* 38. (40)
Monarchiarum *numerus quaternarius*, p. 49.
Morale *à* Ceremoniali, *res ab ipso modo rei etiam in Lege Mosis forensis distinguenda, p.* 56. (66)

N.

Nestorii *error ex Concilio Ephesino genuinè descriptus, pag.* 16. 17. *Iesuitis & Calvinianis communis, p.* 17. *& seqq.*

O.

Oracula *Sibyllarum an sint authentica, eorum expiratio, nato Christo, p.* 13. 51. Oraculi *responsum, Imperatori Augusto, de Successore sciscitanti datum, p.* 13.
Oldekop *de injustè tortis, p.* 63.

P.

Photinianorum *blasphemiæ ultimus Diaboli conatus, p.* 16.

Plu-

# Syllabus Rerum.


Plutarchi *de origine Oraculorum absurda sententia*, p. 10.
Poggius Florentinus *suspectus libri de de tribus impostoribus*, 23.
Prophetiæ & ecstáσεως *differentia* p. 53.

Q.

Quæstio *de* Quæstione, *communiter* Tortura *appellata*, à p. 60. *usque ad* 76. *vide etiam in lit.* T.

R.

Religio Medici; *libellus de Religione ita dictus*, p. 23.

S.

Sagæ, *Sagas esse, qui negant, atheismi suspectos esse*, p. 52. *eas corporaliter à Diabolo per aërem deportari*, p. 71. *triplicis generis Sagæ*, p. 60. *An ob nudam apostasiam à Deo, sint supplicio afficiendæ?* p. 71. *earum perpetrata scelera & illata damna horrenda, inter quæ homicidia miserrima*, p. 57. *supplicium horrendum*, p. 82. 83. 84. 85. 86.
Scriptura Sacra *sola* θεόπνευστος, *hinc sola divina*, p. 10.
Sibyllæ. *Earum Oracula speciem divinitatis præseferentia*, p. 2. *vocis Sibyllæ etymon*, p. 2. 3. *vocabulum generale*, p. 3. 24. *fuisse Sibyllas*, p. 3. 24. 25. *de numero earum*, p. 4. *Quæstio*: An Oracula earum sint authentica? *à pag.* 25. *ad p.* 36. *in utramq; partem disputata*, Affirmativè, *à pag.* 25. *ad p.* 28. Negativè, *à pag.* 28. *ad p.* 36. *decisa*, *à pag.* 37. *ad pag.* 38. *Oracula earum non ex Spiritus Sancti, sed Dæmonis inspiratione*, pag. 7. 35. 54. 87. 88. &c. Sibyllarum vita *impudica, supplicio digna*, *ibid. fuisse lamias*, p. 11.

T.

Tacitus *de Sibyllis*, pag. 8. 9.
Tiberii *vigilantia in recipiendis libris Sibyllarum*, *ibid.*
Thomas Broune *autor libelli, cujus titulus*; Religio Medici, 23.
Tortura. *An ea modus sit legitimus maleficos & sagas examinandi? à pag.* 60. *usque ad p.* 76. *Status quæstionis de eâ per* ἄρσιν & θέσιν *formatus, à pag.* 60. *usque ad* 65. *argumenta pro* affirmativâ, *à pag.* 55. (65) *ad* 58. (68) *solutio argumentorum*, Zepperi, & *aliorum, contra torturam, à pag.* 58. (68) *ad p.* 76. Torturæ ne-

*necessitas*, *p.* 57. (67) torturam *ad leges exactam non esse tyrannidem*, *p.* 58. (68) 59. (69) *multò minus diabolicam*, *p.* 60. (70.) *de* tortura *Augustinus*, *p.* 61. *inic.* tortorum *exempla*, 62. 63. *&c.*

*De* Tribus Summis Impostoribus *liber flammis comburendus*, *p.* 2.

V.

Veneficorum *horrenda delicta*, *p.* 57 58.

Verbum Dei *lymphatica oraculaextinguens*, *p.* 13.

Virgilius. *An Sibyllæ Cumææoraculum in IV. Ecloga fuerit imitatus? p.* 5. 6. 7. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44.

Vivicomburium; *supplicium omnium crudelissimum, cum desperationis periculo conjunctum*, *p.* 83. 84. *An ex sacris ejus exemplum dari possit*, *p.* 84. 85.

Usus & utilitas *ex oraculis à Diabolo* πρὸς ἄνθρωπον, *ibid.*

Z.

Zepperi *argumenta contra torturam soluta à pag.* 58. *continuo tractu usque ad pag.* 76.

---

ERRATA,

*Pag.* 3. *lin.* 13. *lege* Christianis. *p. ead. l.* 22. *pro* αὐτῷ *lege* ψεύδει. *p.* 10. *l.* 29 *lege* immediatè. *p.* 14. *l.* 11. *lege* ἄυθις. *p.* 15. *l.* 10. *lege* τολμηταὶ. *p.* 17. *l.* 21. *lege* Arida. *p.* 18. *l.* 16. 17. *lege* ὑπερυψώσει. *p.* 22. *l.* 4. *lege* πρὸς *l.* 6. *lege* Christi. *p.* 24. *l.* 6. *lege* obstetricante. *l.* 19, *lege*, veteres philolo- *p.* 25. *l.* 20. *lege* γεομαντεία. *l.* 26. *lege* authentica, *p.* 31. *l.* 27, *lege* Διαῤῥήδην. *p.* 32. *l.* 2, *pro* arctis - *lege* ob arctis- *p. ead. l.* 18. *lege* χ. viratum. *p.* 32. *l.* 18. *lege* δηλαδὴ. *item* πεχυρήξαι. *p.* 36. *l.* 25. *lege* vaticinia. *p. ead. l.* 28. *pro* non hubent, *lege* locum non habent. *p.* 39. *l.* 10. *lege* Ασυνείη. *p.* 43. *l.* 21. 22. *lege* soluturo, *ibid. lege* Virgilius. *p.* 47. *l.* 24. *lege* dubitant. *item* retexunt. *p.* 53. *l.* 14. *lege* verbo. *ibid. l.* 32. *lege* κιβδήλοις. *p.* 54. *l.* 29. *lege* calculum. *p.* 51. (57) *l.* 1. *pro* Deo, *lege*, abnegant Deum, & Diabolo. *p.* 60. *l.* 17. 18. *lege* debitæ. *p.* 64. *l.* 30. *pro* se *lege* fuisse, *p.* 66. *l.* 7. *lege* erant. *p.* 67. *l.* 21. *lege* multi. *p.* 72. *l.* 12, *lege* transfodisset. *p.* 81. *l.* 35. *pro* negligenti *lege* neglectis.

FINIS.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Wagner, Tobias

Inquisitio in oracula Sibyllarum de Christo

Tubinga 1664
4 Diss. 460#Beibd.6
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10654060-4
VD17 12:172572D